



# **Disputatio historica de Africa a Phoenicibus, iussu Neconis, circumnavigata**

<https://hdl.handle.net/1874/298655>

AFRICA A PHOENICIBUS, QUAE SEPHONIS  
CIRCUMNAVIGATA

RESONATA PUNCTO TURKIS

GEORGI WILHELMI VON EDE

DISPUTATIO HISTORICA

DE

AFRICA A PHOENICIBUS CIRCUMNAVIGATA.

JOHANNES SEYDERS

1784

DISPUTATIO HISTORICA  
DE  
VIRGINIA A PHOENICIBUS CIRCUMNAVIGATA.

DISPUTATIO HISTORICA  
DE  
AFRICA A PHOENICIBUS, IUSSU NECONIS,  
CIRCUMNAVIGATA,

QUAM,  
ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GEORGII GUILIELMI VREEDE,

JURIS ROM. ET HOD. DOCT. ET PROF. ORD.,

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS PHILOSOPHIAE THEORETICAE  
ET LITERARUM HUMANIORUM DECRETO,

**Pro Gradu Doctoratus**

SUMMISQUE IN

PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITERIS HUMANIORIBUS  
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAIECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

**IOHANNES SANDBERG,**

Roterodamensis.

A. D. II M. IUNII, A. MDCCCLX, HORA II.



Traiecti ad Rhenum,

TYPIS MANDARUNT KEMINK ET FILIUS.

MDCCCLX.

DISPENSATIO HISTORICA

ATQVE A PHOENICIBUS, IUSU REGIONIS,  
CIRCUMSCRIBITA.

ANNO MDCCLXXIII.

GEORGIUM QUARTUM REGEM

IN CHRISTO SERVATIS SEMPER FELICITER

COMMISSIO FACULTATIS THEOLOGICAE UNIVERSITATIS  
ET LIBRARIUM HUMANITATIS

JOHANNES SIBBERG

PHARMACEUTICUS ET LIBRARIUS  
HUMANITATIS

IN ACADEMIA WITTEBERGENSI

EX LIBRARIIS

JOHANNES SIBBERG

Georgii Quarta

EX LIBRARIIS

CARISSIMAE MATRIS MEMORIAE

SACRUM.

Freimüthig habe ich meine Gedanken geäußert, wenn sie auch gegen die bisherigen Meinungen stritten; aber ich bin von der Eitelkeit fern, überall nur Neues sagen zu wollen. Nach dem Zwecke meines Buches und der Absicht seiner Leser würde solches baare Vorkchrtheit seyn. Mein Grundsatz war, über jeden Gegenstand zu sagen, was, nach treuer Forschung, mir als das Beste und Wahrste erschien, dankbar annehmend, was berühmte Vorgänger mich *lehrt*en, oft auch in meinen *eigenen* Ideen durch ihr vielgeltendes Wort bestärkt.

K. VON ROTTECK.  
Allgem. Gesch. II, 117.

Quum ante hos tres fere annos, Gymnasii Amisfurtensis Conrectoris munus peterem, illud mihi oblatum est ea conditione, ut intra certum temporis spatium Doctoris Gradum consequerer. Ergo specimen aliquod scribendum erat. Cuius quidem de argumento quum dubius haerem, opportune mihi in mentem venit voluptatis, quam adolescens iam ceperam ex Herodotea narratione de Africa a Phoenicibus circumnavigata. His iam tunc putabam cum impigris nostris maioribus maximam esse similitudinem. Quid mirum, si res, probata quippe solis illo ad dextram situ, mihi omni dubio maior, et vel paucissima illa verba, quibus scriptor compendii cuiusdam historici, in quod forte incideram, narrationem tuendam iudicaverat, plane supervacanea visa sunt? In hac quidem sententia me postea haud perseverasse, sponte intelligitur. Sed quamquam MANNERTI <sup>1)</sup> et GOSELLINI <sup>2)</sup> in narrationis fidem argumenta diligenter legi, lubens tamen animadverti, ab his non solum dissentire LARCHERUM <sup>3)</sup>, RENNELLUM <sup>4)</sup> et HEERENUM <sup>5)</sup>, sed

<sup>1)</sup> *Geographie der Griechen und Römer*. I, 20.

<sup>2)</sup> *Recherches sur la Géographie des Anciens*. I, 199.

<sup>3)</sup> *Histoire d'Hérodote, traduite du Grec*. III. 457.

<sup>4)</sup> *The Geographical System of Herodotus*. p. 682.

<sup>5)</sup> *Historische Werke*. XI, 79.



etiam viros doctissimos KNÜS <sup>1)</sup> et IUNKER <sup>2)</sup> peculiari-  
 bus disputationibus fidem narrationis Herodoteae sibi vin-  
 dicandam sumpsisse. Neque tamen in argumentorum utrim-  
 que prolatorum cognitione mihi acquiescere visum est;  
 verum et alias saepius me cupido cepit investigandi cau-  
 sas gravissimae in hac re opinionum discrepantiae, et  
 maxime quidem eo tempore, quo de speciminis Academici  
 argumento cogitans, veterem animo repetebam narrationis  
 Herodoteae amorem. Itaque, quae illa a viris doctis  
 in utramque partem disputata sunt, quaeque sparsim in  
 variorum libris inveniuntur, colligere, comparare et di-  
 iudicare decrevi, spe fretus ut, si minus alios docerem,  
 iis tamen, quorum iudicio plurimum tribuo, eas meorum  
 proressuum rationes reddam, quas a viro, muneris occu-  
 pationibus plurimum distracto, aequi iudices petere solent.

---

<sup>1)</sup> *Disquisitio de fide Herodoti, qua perhibet Phoenices Africam navibus circumvectos esse.*

<sup>2)</sup> *Die Umschiffung Libyens durch die Phoeniker (Neue Jahrb. für Phil. u. Paedag. VII, 357).*

---

## CONSPECTUS.

---

	Pag.
INTRODUCTIO. . . . .	1
CAPUT I. Herodotus. — Fontes, unde narrationem hausit.	4
CAPUT II. De incrementis commercii Aegyptiorum cum exteris nationibus. — Neco rex. . . . .	10
CAPUT III. Phoenicum rei nauticae peritia. . . . .	15
CAPUT IV. Africae litora, magna ex parte, iam antea Phoenicibus cognita fuerunt. — Etesiae, fluenta maris, cet. . . . .	25
CAPUT V. Temporis spatium, quod in hanc expeditio- nem impensum dicitur, naturae rei optime convenit. . . . .	28
CAPUT VI. De sole ad dextram viso. . . . .	35
CAPUT VII. De iis, quae a sociis expeditionis narrata non sunt. . . . .	40
CAPUT VIII. Unde factum, ut circumnavigatio postea non sit repetita. . . . .	44
CAPUT IX. Conclusio. . . . .	48

---

INDEX

Faint, illegible text listing page numbers and titles, likely an index or table of contents.

## INTRODUCTIO.

Antiquissimam, quam novimus, de Africa circumnavigata narrationem HERODOTUS his verbis exhibet:

L. IV. c. 42. Λιβύη μὲν γὰρ δημοῖ ἐαυτὴν, εὐῶσα περιήρουτος, πλὴν ὅσον αὐτῆς πρὸς τὴν Ἀσίην οὐρίζει· Νεκῶ τοῦ Αἰγυπτίων βασιλῆος πρώτου τῶν ἡμεῖς ἴδμεν κηταδέξαντος. δε ἐπεὶ τε τὴν διώρυχα ἐπαύσατο ὀρύσσων τὴν ἐκ τοῦ Νείλου διέχουσαν ἐς τὸν Ἀράβιον κόλπον, ἀπέπεμψε Φοίνικας ἄνδρας πλοίοισι, ἐντειλάμενος ἐς τὸ ἐπίσω δι' Ἡρακλήϊον στηλέων διεκπλέειν ἕως ἐς τὴν βορρῆϊν θάλασσαν, καὶ οὕτω ἐς Αἴγυπτον ἀπικνέεσθαι. Ὀρμηθέντες ὦν οἱ Φοίνικες ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης, ἔπλεον τὴν νοτινὴν θάλασσαν. ὅπως δὲ γίνοιτο Φθινόπωρον, προσίσχοντες ἂν σπεύρεσκον τὴν γῆν, ἵνα ἐκάστοτε τῆς Λιβύης πλέοντες γινοίωτο, καὶ μένεσκον τὸν ἄμμητον· θερίσαντες δ' ἂν τὸν σῆτον, ἔπλεον· ὥστε δύο ἐτέων διεξελθόντων, τρίτῳ ἔτει κάμφαντες Ἡρακλήϊας στηλάς ἀπικοντο ἐς Αἴγυπτον. καὶ ἔλεγον, ἐμοὶ μὲν οὐ πιστὰ, ἄλλῳ δὲ δή τρω, ὡς περιπλώοντες τὴν Λιβύην, τὸν ἥλιον ἔσχον ἐς τὰ δεξιὰ· οὕτω μὲν αὕτη ἐγνώσθη τὸ πρῶτον.

En facinus summa admiratione dignum, quod tamen oblivioni datum fuisset, nisi hanc HERODOTI narrationem tempora servassent. Cuius autem quum nemo veterum, non modo PLINIUS, sed ne POMPONIUS MELA

quidem, ullam fecerit mentionem, quamvis colligendis undique traditionibus, quibus Africam circumnavigari posse probarent, sedulam operam dederint, GOSSELLINUS<sup>1)</sup> ex hoc silentio collegit, neque veterum philosophos, neque geographos huic narrationi fidem unquam habuisse. Quodsi ab his tantam alioquin HERODOTO auctoritatem tributam esse reputamus, eum ut saepissime ad verbum verterint, non levis obiectio illa videri possit. Sed si quis ad rationem, quae in historia et geographia scribenda a veteribus vulgo usurpata sit, attendcrit<sup>2)</sup>, narrationem hanc HERODOTI tam simplicem, nullisque fabulis ornatam, mirabilium imprimis rerum studiosis non admodum placere potuisse, facile intelliget. Profecto *Hannonis*, *Eudoxi*, aliorumque expeditiones, *Gorillas*, aliaque monstra, quibus allicerentur lectores, praebabant. Atque ita narratio illa *Herodotea* mox oblivioni data est, adeo ut ne iis quidem, qui de Africa circumnavigata scripserunt, digna visa sit, quae cum fabulis de *Blemysis*, *Satyris*, *Aegipanibus*, aliisque huius generis compararetur<sup>3)</sup>. Alii, uti STRABO<sup>4)</sup>, qui Africam circumnavigatam negarunt, opinione sua praeiudicata adeo sunt abrepti, ut narrationem vix aspexisse videantur. Qui vero, ut PTOLEMAEUS, Africae partes australes Asiae

<sup>1)</sup> Recherches. I, 206.

<sup>2)</sup> Cf. *Ulrici*, Charakteristik der antiken Historiographie, p. 17; *Creuzer*, die historische Kunst der Griechen, p. 84.

<sup>3)</sup> *Pomp. Mela*, I, 8; *Plin. H. N. V*, 8. — Recte *Larcherus* (*Hist. d'Hérod.* III, 464.) animadvertit, auctores h. l. citatos neque de Scylacis navigatione, neque de eiusdem (l. alterius) Periplo quidquam dixisse, quae tamen vera habeantur.

<sup>4)</sup> L. II, 98. Μνησθεῖς δὲ τῶν περιπλεῦσαι λεγομένων τὴν Διβύην, Ἡρόδοτον μὲν οἴεσθαι Φησὶν [sc. Ποσειδώνιος] ὑπὸ Δαρείου πεμφθέντας τινὰς τελέσαι τὸν περίπλου.

atque Europae cohaerere perhibuerunt, his ea plane absurda visa est, neque digna, cuius mentio fieret.

Quidquid est, quum narrationem hanc *Herodoteam* nobis tuendam sumserimus, disputationis ordinem ita instituimus, ut primum exposituri simus ea, quae de **HERODOTI** fide et fontibus, unde narrationem hauserit, monenda videntur; deinde nonnulla de rebus Aegyptiorum atque de indole Neconis regis, quae ad narrationem recte intelligendam pertinent, in medium prolaturi, tum singula narrationis argumenta examini subiecturi, difficultatum, quas viri docti obiecerunt, ubique ratione habita.

---

## CAPUT I.

### HERODOTUS. — FONTES, UNDE NARRATIONEM HAUSIT.

Omnia, quae sive fabulosa, sive vera a poëtis et logographis ad suam usque aetatem erant tradita, non solum cognoscenda, sed examinanda etiam ac pervestiganda sibi proposuit HERODOTUS, ut *historiae*, sic *geographiae* pater. Hic enim, dum bella Graecos inter et Persas gesta narrat, argumento suo omnium fere gentium tunc cognitarum historiam ita inseruit, ut singularum regionum tum incolas, eorumque indolem, mores, instituta, artes, tum soli naturam aërisque temperiem exponat. Quod magna quidem cum diligentia facere potuit, quum notionibus geographicis, de quibus iam constare censeretur, non acquiescere ei visum esset, sed, longinquis peregrinationibus susceptis, in ipso loco singulas perscrutatus sit. Post multos demum annos redux, quae diligentissime exploraverat, literis mandavit. Quum autem HERODOTUS, quae aut ipse vidisset, aut ex aliis, sive decipiendi sive gloriandi causa falsa fictaque de industria saepe narrantibus, comperta habuisset, nova permulta ac maxime mira commemorarit, fieri non potuit, quin fides eius veteribus iam fuerit suspecta. Permulta tamen, fabulis olim aequata, HERODOTO bene cognita ac perspecta

fuisse, diligente recentiorum peregrinatorum opera ac sollertia demonstratum est. Sed haec nemo ignorat, nec quisquam veri amorem, quo historicum illum doctissimi historiae scriptores maxime excelluisse praedicaverunt, a me laudibus extolli desiderabit. Itaque hic tantum inquirendum est, quibus auctoribus adeo fidem HERODOTUS habuerit, ut ipsi, Africam a Phoenicibus circumnavigatam esse, persuasum fuerit.

Quum ipse historicus de fonte, ex quo narrationem suam hausit, nihil dixerit, probabilis omnino videtur coniectura GOSSELLINI perhibentis, deberi eam sacerdotibus Aegyptiis, quippe quae iuncta sit Neconis historiae ab iisdem sacerdotibus acceptae<sup>1)</sup>. Minime vero vir doctissimus ea coniectura hoc spectat, ut fidem narrationis confirmet. Sed contendit vetustissima aetate exstitisse<sup>2)</sup>, qui omnes disciplinas atque artes edocti, alma praelucente astronomia, perfectissima quoque geographiae notitia praediti fuerint, atque ideo Africam circumnavigare potuerint<sup>3)</sup>. Iam ex obscura eiusmodi expeditionis, saepius repetitae, memoria, ipso iudice, orta est illa narratio (Herodotea), veri tamen speciei satis bene accommodata, ut sacerdotes Aegyptii, astronomiae peritissimi, quique eos

<sup>1)</sup> Recherches, I, 205. Hanc Neconis historiam (II, 158, 159) a sacerdotibus Aegyptiis acceptam esse firmari mihi videtur Lib. II, 3 et 4.

<sup>2)</sup> De iisdem eadem multaque alia maxime mira perhibet *Gelpke* (über das Urvolk der Erde). — Videtur quoque *Wilkinson* (in *Rawlinsoni*: The History of Herodotus, III, 34 n. 4.) haec *Herodoti* verba οὕτω μὲν αὐτὴ ἐγνώσθη τὸ πρῶτον in dubium vocare, quum dicat: „We may infer, from Necho's ordering the „Phoenicians to come round by the Pillars of Hercules, that the „form of Africa was *already* known, and that this was not the „first expedition which had gone round it.”

<sup>3)</sup> Recherches, I, 207.



adirent nautae, eam quippe naturae rei prorsus convenientem credere possent. Doctissimus BREDOVIUS<sup>1)</sup> hanc GOSSELLINI sententiam tacite secutus, ut acerrime totam narrationem impugnat, sic auctores illos haud magna cum benevolentiae significatione commendat. Nam „quinam,” inquit, „sunt Herodoto auctores? — Interpretes illi Aegyptici diffamati, qui ab ipsis Graecis, rerum novarum avidissimis unaque „credulis, tentabantur, ut miracula fabulasque fingerent: quosque et saepius fortasse linguae imperitia „in errores induxit.” Et paulo inferius: „Videor mihi „sacerdotem Aegyptium videre, quo modo in charta „sua, sive animo cogitata, sive in tabula depicta, digito quasi circumnavigationem Africae faciat; adque „rationem temporis, quo in alias terras longinquas navigationes perfectae erant, tempus et huius navigationis fingat.” Videamus igitur, quid de his censendum sit.

Iam primum bene tenendum est, HERODOTUM non casu quodam, sive lucri causa mercaturam facientem, sive legatione fungentem, sed solo cognoscendi studio ductum, itinera suscepisse<sup>2)</sup>. Peregrinatoribus igitur illis, qui ut omnia strictim tantum audiunt videntque, ita responsis etiam atque explicationibus obiter datis contenti sunt, minime est annumerandus<sup>3)</sup>. Talem

<sup>1)</sup> Geographiae et Uranol. Herodot. Specim. XI.

<sup>2)</sup> K. O. Müller, Gesch. der gr. Literat. I, 482.

<sup>3)</sup> *Herodotum* investigationem haud facile dimittere, etiamsi merae fabulae de industria narrarentur, saepius apparet. Quum, e. g. audivit, quo mirabili modo cinnamomum colligant Arabes, iterum iterumque rogando id saltem rescivit, Bacchi patriam sive *Indiam* cinnamomi esse patriam; non vero *Arabiam*. L. III, 111. — *Strabo* (XVI, 778.) de vera regione nondum melius edoctus fuit.

virum sacerdotes Aegyptii, ipsi quoque viri sagaces, statim perspexisse videntur ac coluisse. Per omne enim temporis spatium, quod HERODOTUS in Aegypto versatus est, non solum in explicandis iis, quae fortasse quoque aliunde accipere potuisset, ubique se praestiterunt vel maxime comes<sup>1)</sup>, verum etiam annales<sup>2)</sup> evolverunt, et suis sacris tanquam initiato multa significarunt, quae, data fide, religiose historicus celavit<sup>3)</sup>. Quum autem non is esset, qui cuiuslibet effatis temere crederet<sup>4)</sup>, ne sacerdotibus quidem confisus est, sed Heliopolin ac Thebas se contulit, seire cupiens, an his in urbibus eadem ac Memphi sacerdotes narrarent<sup>5)</sup>. Quod quamvis revera obtinere reperiatur<sup>6)</sup>, vel sic tamen ipse considerat; fabulas historiae accommodare conatur<sup>7)</sup>; futilium quidem rerum iudicium lectori remittit<sup>8)</sup>; graviores, an rationi congruant, ipse diiudicat<sup>9)</sup>; et si quid se ignorare sacerdotes ingenue confitentur<sup>10)</sup>, aliunde ut rem expediat, minime haesitat<sup>11)</sup>. En igitur vir credulus tanque facilis deceptu! En sacerdotes diffamati, quibus tamen hodie paulo plus fidei vulgo habetur.

His igitur viris HERODOTUS credidit<sup>12)</sup>, licet nar-

<sup>1)</sup> Ut ex toto libro II. satis liquet.

<sup>2)</sup> L. II, 100. Conf. *Baebr*, in ed. Herodot. ad h. l.

<sup>3)</sup> L. II, 4; 48; 61; 62; 65; cet.

<sup>4)</sup> L. II, 28; 73; 122; 131; III, 2; 16; cet.

<sup>5)</sup> L. II, 3.    <sup>6)</sup> L. II, 4.    <sup>7)</sup> L. II, 54 sqq.; 116; 120.

<sup>8)</sup> L. II, 123.    <sup>9)</sup> L. II, 5; 12; 15; 18.

<sup>10)</sup> L. II, 19; 43.    <sup>11)</sup> L. II, 44.

<sup>12)</sup> *Mannertus* narrationem *Herodoteam* e rumoribus, per 150 annos inter homines iam sparsis, ortam esse perhibet. Quod si verum est, idem nobis liceat observare ac *Gail* (*Geogr. Min.* I, 76) ad locum, ubi *Strabo* (I, 48) de Phoenicum coloniis extra fretum Herculeum conditis dubitat: „Non semel e longinquo per „irrisos rumores veritas ad homines melioris iudicii pervenit innotuitque.”

rationi juncta esset res, cuius ratiōnem sibi reddere prorsus non potuit. Quam quum silentio haud praeterierit, fieri omnino non potuit, quin aliis argumentis ei sit persuasum. Quae qualia fuerint, non indicavit<sup>1)</sup>, sed gravissima fuerint nesse est; vir enim, qui, de Hercule Graeco quum in Egipto nihil comperire potuerit, hanc ob causam Tyrum atque inde etiam Thasum profectus est<sup>2)</sup>, hic nullam certe praetermisisset occasionem, sive oblatam, sive quaesitam, qua factum penitus explorare posset, si de Africa circumnavigata vel minime dubitasset<sup>3)</sup>. Itaque Tyrum rem haud dubie perquisivit<sup>4)</sup>; tales autem perscrutationes, praesertim si ab aemulis fierent Graecis, Phoenicibus non admodum gratas fuisse, sponte intelligitur. Num Carthagine Herodotus fuerit, in dubium vocatur<sup>5)</sup>; nec tamen circumnavigationis viritatem ab illis

<sup>1)</sup> Si *Herodotus*, ut sibi propositum habuisse videtur (L. II, 161), *Libycarum rerum historiam* scripsisset, fortasse haec quoque notasset.

<sup>2)</sup> L. II, 43; 44.

<sup>3)</sup> *Dahtmann* (Forschungen cet. II, 106): „Zwei Thatfachen, „die sich einander widersprechen, lässt er niemahls alle beide „wahr seyn.“

<sup>4)</sup> Dixit enim L. II, 142: Ἐς μὲν τοσούδε τοῦ λόγου Αἰγύπτιοι τε καὶ οἱ ἱρέες ἔλεγον, et c. 147: Ὅσα δὲ οἱ τε ἄλλοι ἄνθρωποι καὶ Αἰγύπτιοι λέγουσι, ὁμολογέοντες τοῖσι ἄλλοισι, κατὰ ταύτην τὴν χώραν γενέσθαι. ταῦτ' ἤδη Φράσω προσέεται δέ τι αὐτοῖσι καὶ τῆς ἐμῆς ὕψιος, de iis, quae inde a Dodecarchia facta sunt.

<sup>5)</sup> Conf. *Baehr* in ed. *Herodot.* ad h. I. Ceterum *HERODOTUS*, ut animadvertit *K. O. Müller* (*Gesch. der gr. Literat.* I, 482), Graecus quidem fuit, sed sub regno Persarum, utpote civis Halicarnassensis. Itaque, si Carthaginem adiit, fortasse Carthaginenses neque Persarum, quibus certe infensi non erant, regi parentem offendere, neque Graeco ultra necessarium morigerari voluerunt. Quare *HERODOTUS*, frustratus spe permulta a Cartha-

iudicibus peritissimis negatam esse, apparet non modo ex verbis hisce Μετά δὲ, Καρχηδόνιαι εἰσι οἱ λέγοντες<sup>1)</sup>, sed ex eo etiam, quod suam de solis ad dextram conspecti narratione sententiam confirmatam HERODOTUS alioquin non tacuisset. Nam suam si probatam sententiam videret, eum vel maxime sibi placuisse, liquet ex L. II, 104, ubi suam de Colchis opinionem haud sine voluptate nobiscum communicat. Ceterum si, ut plurimi censent, HERODOTUS in Aegypto fuit medio fere seculo quinto ante C. N., atque anno 408 ante C. N. opus suum tractare adhuc potuit, tempus emendandi ei certe non defuit<sup>2)</sup>.

Erunt fortasse, qui cum GOSSELLINO et BREDOVIO mirentur, neque ante HERODOTUM, neque postea cuiquam idem Aegyptios narrasse. Hi autem bene teneant velim, non omnibus eundem esse perscrutandi amorem. Praeterea Aegyptum permulti quidem tunc Graeci adibant, sed non omnes discendi causa; qui vero id studium persequebantur, quid mirum, si in regione, tot tantaque miracula exhibente, ea potissimum, de quibus tam multa iam audivissent, tamque multa et ipsi deinde narrare possent, visere properaverint, et narrationem parum curaverint, cuius haud dubie ne ullum quidem, quo admonerentur, exstaret indicium?

---

giniensibus discendi, horum licet saepius, tamen non nisi obiter facit mentionem. Cf. *Dahlmann*, Forsch. cet. II, 71.

<sup>1)</sup> L. IV, 43.

<sup>2)</sup> *Dahlmann*, Forsch. cet. II, 41; 69. Contra *Grote*, History of Greece, IV, 227. n.

## CAPUT II.

DE INCREMENTIS COMMERCII AEGYPTIORUM CUM  
EXTERIS NATIONIBUS. — NECO REX.

Ab antiquissimis temporibus commercio, quod Aethiopes, Aegyptii, Libyes, Arabes, Indi inter sese haberent, Aegyptum Superiorem tanquam centrum fuisse, satis constat. Quamvis igitur Aegyptus interna praecipue floreret mercatura, et peregrinos, praesertim mari advectos, cupidissime arceret, per frequentes mercatorum commeatus, Thebas et in Ammonis urbem convenientium, permultas easdemque remotissimas terras Aegyptiis innotuisse, facile apparet. Hi vero, illam commercii opportunitatem omnem sibi vindicantes, eadem invidia, qua Phoenices et Carthaginenses usos esse supra diximus, postea etiam, Aegypto ab innumeris Graecis sive negotiandi sive alius rei causa frequentata, quominus de illis regionibus, quae iam cognovissent, indicarent prohibebantur. Sagacissimus tamen HERODOTUS, de extremis Asiae atque Africae plagis sciscitando, ex fabulis etiam veri aliquid eruit<sup>1)</sup>, et descripsit iter, quo ex Aegypto in Meroën proficisci mercatores solebant<sup>2)</sup>. Exploravit etiam iter, quod in regiones occidentales mercatores, ex Aegypto Superiore profecti, facere consueverant<sup>3)</sup>; mox autem, Carthaginensium imperio appropinquans, stationes tantum, quo diversis ex regionibus commeatus conveniebant, indicare potuit. Neque

<sup>1)</sup> Vid., e. g. quae L. III, 111 de modo, quo cinnamomum colligatur, narrantur.

<sup>2)</sup> L. II, 29. <sup>3)</sup> L. IV, 181—185. Cf. Heeren, Id. II, I, p. 214.

vero haec a Carthaginiensibus, neque ab Aegyptiis, sed ab ipsis Afris, ut etiam cetera de septentrionalis Africae oris, audivisse se fatetur<sup>1)</sup>, atque etiam expeditionem, quam Africae interiora lustrandi causa Nasamonum juvenes susceperunt, a Cyrenaeis hominibus acceptam refert<sup>2)</sup>. Vel sic tamen perquirendo ex ipsis Carthaginiensibus rescivit, extra Herculis columnas in Africae litore occidentali esse locum, in quem auri reportandi causa navigarent, mirum in modum mercaturam ibi facientes<sup>3)</sup>. Quem quidem locum, auro tantopere abundantem, in ipsa Senegambia aut vicinia eius esse quaerendum, *Hennicke* iam docuit<sup>4)</sup>. — Ab altera Africae parte regio thurifera<sup>5)</sup>, sinus Arabici faucibus vicina, atque etiam Aethiopes<sup>6)</sup>, australem Africae orientalis oram inhabitantes, *HERODOTO* quodammodo innotuerunt. Quae quidem omnia etsi nemo ignorat, liceat tamen mihi citare, ut clare appareat, quantam, ad meridiem multo fortasse longius protractam, Africae partem accurate sibi cognitam Aegyptii habere potuerint.

Quum autem Aegyptii, initio mediam tantum Aegypti partem incolentes, totam regionem paulatim occupaverint, neque a sedibus meridiem versus mutandis prorsus alienos eos fuisse etiam *Automolorum* exemplum doceat<sup>7)</sup>, haec ipsa res satis declarat, a dilatandis finibus eos minime abhorruisse, dummodo mores servare possent incorruptos. Quod idem quoque prae-

1) L. IV, 173; 187; 191; cct.    2) L. II, 32.

3) L. IV, 196. — Non vero in ipsa urbe Carthagine, sed a nautis mercatoribusque Carthaginiensibus, quos in Aegypto sive alio loco offenderit, *Herodotum* id accipisse, censet *Baehr* ad *Herodot.* IV, 43.

4) *Commentatio de Geographia Africae Herodotea*, IV, 1.

5) L. II, 8; III, 107.    6) L. III, 114.    7) L. II, 30.

clare facta regum, imprimis Sesostris, aut quo nomine heros appellandus sit, in vastis illis monumentis exhibitae demonstrant. Nec terrestria solum, sed navalia etiam efficta sunt proclia<sup>1)</sup>, atque egregie comprobant HERODOTI dicta: τὸν ἔλεγον οἱ ἱερεῖς πρῶτον μὲν πλοίοισι μακροῖσι ὀρμηθέντα ἐκ τοῦ Ἀραβίου κόλπου, τοὺς παρὰ τὴν Ἐρυθρὴν θάλασσαν κατοικημένους καταστρέφεσθαι· ἐς δὲ πλείοντά μιν πρόσω, ἀπικέσθαι ἐς θάλασσαν οὐκέτι πλωτῆν ὑπὸ βραχέων. ἐνθεῦτεν δὲ ὡς ὀπίσω ἀπικετο ἐς Αἴγυπτον, κατὰ τῶν ἱερέων τὴν Φάτιν, στρατὴν πολλὴν λαβὼν ἤλαυνε διὰ τῆς ἠπείρου, πᾶν ἔθνος τὸ ἐμποδῶν καταστρέφόμενος<sup>2)</sup>. Quousque eiusmodi expeditiones se extendisse videntur, id nostra nunc minime refert, dummodo appareat, iam olim Aegyptios, omissis quas in Graeciam misisse dicuntur coloniis, imperii sive firmandi sive extendendi opportunitatem nec mari nec terra recusasse.

Peregrinos autem navibus advectos utique Aegyptii a se enixe prohibebant<sup>3)</sup>. Nec mirum; qui enim mercandi causa mare permocabant, iidem olim et piraticam exercere solebant, a quibus si quis se defendere vellet, longarum navium classis ei omnino erat comparanda. Id vero Aegyptiis, quorum regio maioribus destituta erat arboribus, haud facile erat negotium, atque ideo in commercium terrestre unico incumbebant. Sed hoc etiam insequente tempore graviter labefactum videtur<sup>4)</sup>. Octavo enim seculo ante C. N. Assyriorum denuo vigere coepit imperium. Non solum Syriam, Phoeniciam, Palaestinam, septentrionalis Arabiae partem subegerunt, belloque petiverunt

<sup>1)</sup> Heeren, Id. II, 2, p. 756, 809, 815, 819.

<sup>2)</sup> L. II, 102.

<sup>3)</sup> Quodsi nihil esset periculi, Aegyptios advenis non semper infensos fuisse, ex Menelai exemplo coniciendum est.

<sup>4)</sup> Heeren, Id. II, 2, p. 656.

Aegyptum, uti ex Hebraeorum scriptis <sup>1)</sup> cognitum est, sed Babyloniam etiam deinde ac Mediam sibi submiscerunt. Mox autem Babylonii ipsi, ac deinceps Medi imperium sibi vindicarunt, latissimeque extenderunt. Quorum quidem omnium mos erat, ut, quos bello superassent, eosdem, primores saltem, in remotissimas regiones deducendos curarent. Quot perturbationes quantaeque calamitates inde oriundae essent mercaturae, in australis aequae atque occidentalis Asiae regionibus tunc maxime florenti, unusquisque facile intelliget. Tacent quidem de hac re Hebraeorum historici, quippe quae iis minoris fuerit momenti, indicium tamen existat fortasse apud STRABONEM, qui *Gerrham*, in ora sinus Persici sitam posteaque mercatura celeberrimam, a Chaldaeis, Babylone profugis, auctam esse tradit <sup>2)</sup>. Illarum igitur gentium mercatura tam crebris bellis afflicta, si prorsus non interierit, de sede sua moveri certe potuit, atque ita Aethiopum etiam mercaturae detrimenta gravissima fortasse illata sunt. Atque haec quidem potissimum causa videtur, qua reges Aethiopum adducti sunt <sup>3)</sup>, ut per quinquaginta annos Aegyptum occuparint. Nam longarum navium classe destituti non nisi per Aegyptum viam, qua perniciosa ista bella reprimerent, munire sibi poterant. Cui quidem opinioni favere videtur etiam illud, quod reges illi, quorum unum modo HERODOTUS cognovit <sup>4)</sup>, tanquam sapientissimi a Graecis laudantur, quippe qui eadem

<sup>1)</sup> II Reg. XV, 19; XVI, 7, 9; XVII, 3—6, 24.

<sup>2)</sup> L. XVI, 766.

<sup>3)</sup> De Tirhaca contra Sanacharibum bellum parante vid. II Reg. XIX, 9; Jes. XXXVII, 9.

<sup>4)</sup> Sabaconem sc. L. II, 137—140. — Praeter hunc fuisse dicuntur Succhus et Tirhaca *Euseb. Chron. II, 181.*



sectati essent, quae postea Psammetichus efficere conabatur. Hic quidem quomodo Aegypti, magnis diu percussae perturbationibus, regno potitus sit, et qua ratione id firmare ac mercaturam maxime promoveri contenderit, satis constat.

Huius autem exemplo non defuit *Neco*, qui Graecorum fretus auxiliaribus, quos rei militaris peritissimos cognoverat, Palaestinam ac Syriam, a patre iam bello petitas, secundiore fortuna adortus <sup>1)</sup>, atque ad Euphratem usque progressus est; tunc vero a Nebucadnezare victus, omnibus, quas occupaverat, regionibus amissis, in Aegyptum redire est coactus <sup>2)</sup>. Talia autem priusquam suscepit, magnificam sibi munire viam studuit. Primus enim fossam aggressus est ducere e Nilo in sinum Arabicum ferentem, cuius tanta fuit latitudo, ut duae triremes simul per eam navigare possent. Sed medio in labore substitit, pergere prohibitus oraculi effato, ut narrat HERODOTUS <sup>3)</sup>; vera autem causa fortasse periculosa fuit in septentrionali huius sinus parte navigatio, opere iam inchoato, a rege identidem perspecta. Quare haec fossa postea a Dario rege perducta brevi iterum obruta est, ut etiam aliae ab aliis effossae. Quidquid id est, quum frustra sperasset, fore, ut ex uno in alterum mare classes suas navigantes videret, in utroque mari triremes aedificari iussit <sup>4)</sup>. Quibus construendis Phoenices omnia fortasse subministrarant; ipse vero quo magis sibi sufficere volebat, eo magis Palaestina, Phoenicia, Syria, quippe

---

<sup>1)</sup> *Herodot.* II, 157; 159; II Reg. XXIII, 29; II Chron. XXXV, 20; XXXVI, 3.

<sup>2)</sup> II Reg. XXIV, 7; Jerem. XLVI, 2.   <sup>3)</sup> L. II, 158.

<sup>4)</sup> *Herodot.* II, 159, qui suo adhuc tempore navalium vestigia conspici narrat.

quae non divitias tantum in emporiis accumulatas, verum etiam navibus fabricandis materiam promitterent amplissimam, ei occupandae videbantur. Ac tali incepto fortunam prorsus aspiraturam credere potuit, donec, ferocissimum Babyloniorum regem aggressus, uno tantum proelio de omni spe deiectus est. Tum redux fortasse, exhaustis thesauris, Africam circumnavigari iussit<sup>1)</sup>. Persuasum enim habere potuit, in Asia victorias sibi non amplius esse affectandas, atque ideo aliam ineundam viam, qua per mercaturam imperio suo prodesset. Ipsius vero Africae regiones remotas auro, ebore, ebano, mancipiis, aliisque rebus pretiosis abundare, e mercatorum narratis melius certe, quam postea HERODOTUS, cognovisse potuit<sup>2)</sup>. Quum autem ipsis Aegyptiis, rei procul a patria gerendae perquam fastidiosis<sup>3)</sup>, multo minus quam Graecis confisus sit, quid mirum, si iisdem et praetulerit Phoenices, rei nauticae peritissimos, quibus, quum mare sibi tentandum putaret, rem committeret?

### CAPUT III.

#### PHOENICUM REI NAUTICAE PERITIA.

Ex iis, quae hactenus exposita sunt, satis apparere

<sup>1)</sup> Hoc quidem tempus, quum de circumnavigationis anno minime constet, quodammodo et eo probandum videatur, quod, ubi Neconis, Syros nondum aggressi, praeclare facta enumerantur (*Herodot.* II, 158; 159), nulla circumvectionis mentio fit. — Contra *Knös* (*Disquis.* p. 14 et 15) eum in praelio apud Circesium occubuisse dixit, idemque censet *Baehr* in edit. *Herodot.* II, 159, quod neque liquet ex II Reg. XXIV, 7, neque firmatur *Jerem.* XLVI, 2.

<sup>2)</sup> L. III, 97; 114.    <sup>3)</sup> L. II, 161.

potest, neque narrationis auctori fidem denegandam, neque tempori, de quo agitur, inceptum non consentaneum esse, neque Neconis indoli ejusmodi expeditionem repugnare. Ipsa igitur narratio iam inspicienda est, atque ea, quae a viris doctissimis in utramque partem sunt disputata, ut, quid de re narrata sit censendum, inde eliciatur.

Ex omnibus, quae tali expeditione obstare putantur difficultates, maxima habetur veterum rei nauticae imperitia, cui tamen recentiorum peritiam vulgo nimis praeferrere iudico. Paucissima quidem de illorum navigandi ratione sunt tradita, adeo ut de singulis, quae eo pertinent, minime constet; quae autem commemorata non sunt, tamen exstare potuerunt. Carebant quidem pyxide nautica, quam tamen non valde desiderabant, quum in altum mare, ut nunc fit, evehi non solerent. Nec vero ita litora legebant, ut ea nunquam e conspectu amittere auderent. Qui enim in Cyprum, Cretam, Siciliam, Sardiniam, Baleares, aliasque insulas navigare potuerunt? Qui primi eo pervenerunt, non nisi tempestate fortasse aut casu quodam appulsi sunt; sed postea sole astrisque freti <sup>1)</sup> eodem reverti potuerint necesse est. Itaque, etiamsi litora praeterveherentur, mox recta via ex uno in alterum navigabant promontorium, ac modo cursum denuo constituturi navem ad terram subinde applicabant. Quae autem vitia tali cursum dirigendi rationi irrepere possent, quum destituti essent instrumentis, quibus et septentrionem et cuiusvis loci longitudinem accurate definire possent <sup>2)</sup>, ea haud dubie acumine sensuum atque exercitatione evitare studebant.

<sup>1)</sup> Ita Calypso Ulyssi praecipit, ut in cursu dirigendo Ursam maiorem ad sinistram teneat. *Hom. Od. V, 272—277.*

<sup>2)</sup> Hic tamen non negligendum est, situm cuiusvis loci, in quo

Tali quidem navigandi rationi naves eximie erant aptae. Velis ac remis, ut ex imaginibus patet<sup>1)</sup>, iam antiquissimis temporibus erant instructae, atque ideo hodiernis navigiis, quae machina atmica propelluntur, non prorsus impares. Secundo vento, vela expandebantur; sin minus, remigio naves provehebantur; tempestate coorta, quam celerrime ad litus appellebantur<sup>2)</sup>. Quum enim admodum humiles essent, neque adeo profundum requirerent mare, nisi forte rupes et scopuli obstarent, tute id fieri licebat; nam vadis etiamsi iniectae essent, ipsa levitate, quippe quae non recentiorum instar tormentis bellicis gravabantur, multo facilius ac minore jactura detrudi poterant, et tunc in ipsum litus subductae ab omni tutae erant periculo<sup>3)</sup>. Nec ventis contrariis periculoso in loco morari cogebantur; nam, velis maloque demissis, confestim tutiora petere loca poterant<sup>4)</sup>. Praeterea, quae longioribus expeditionibus olim inserviebant naves, erant *moneres*, quinquaginta remis instructae<sup>5)</sup>, soli-

---

navis versetur, accurate definire, recentioris esse aevi. Sub finem enim seculi decimi quinti quum via in Indiam detegereetur, observationibus in mari factis non admodum confidebant, atque ideo terram adeundi occasionem appetebant; *longitudinem* vero accurate scire non poterant, priusquam abhinc annos prope centum horologia marina (*timekeepers*) inventa sunt. Vid. *J. ter Pelkwijk*, de *Zeevaart der oude Volken*. p. 52.

<sup>1)</sup> Praesertim in vastis Thebarum Aegyptiacarum monumentis. Cf. *Heeren*, Id. II, 2, p. 746.

<sup>2)</sup> Non tamen naves oncrarias, utpote forma minus gracili utentes, intelligo. Vid. Act. Apost. XXVII, 39—41.

<sup>3)</sup> Vid. e. g. *Herodot.* IX. 96; 97. — Recte observavit *Knös* (*Disquis.* p. 4, coll. *Arrian. Hist. Ind.* 33), naves 200 nautas et 30 milites capientes, nisi valde humiles caedem fuerint, in terram esse subductas hand facile posse, ut passim apud veteres dicitur.

<sup>4)</sup> *Lucan.* Pharsal. III, 45.

<sup>5)</sup> *Strabo* (II, 100) expresse distinguit navem litori circumna-

dae fabricatae, patientes gubernaculi, ventoque consentientes, atque undas celeriter secantes<sup>1)</sup>. Quodsi loca periculosa aditurae essent, aut tempestate laborarent, variis etiam modis muniri solebant<sup>2)</sup>. Omni igitur ratione veterum naves per ipsam structuram suam tutiores quam hodiernae litora praeternavigare poterant, ante omnes autem Phoeniciae. Hae enim, omnibus licet ad mare Mediterraneum habitantibus similes essent naves (nulla certe commemoratur differentia), ut optime instructae laudantur<sup>3)</sup>.

Ut naves erant optimae, ita etiam nautae *Phoenicum* omnibus longe praestabant. Haec enim gens, teste HERODOTO<sup>4)</sup>, antiquissimis temporibus Erythraeo mari accoluerat, ibique haud dubie mercatura ac piratica vixerat. Vix enim alioquin explicandum videretur, quomodo in angustam et saxosam oram, omni amoenitate et commoditate destitutam quum pervenisset, hanc suo ingenio prorsus adaptatam habuerit, ac continuo longinquis operam dederit navigationibus, ut idem Historicus testatur. Statim igitur mercaturam simulque piraticam facientes Phoenices, ac propinquas primum regiones insulasque, dein magis remotas frequentantes, in Graeciam non solum<sup>5)</sup>, sed

---

vigando aptam, alteramque per altum navigantem, *πεντηκόντερον* dictam. Cf. *Herodot.* I, 163. <sup>1)</sup> *Senec.* Epist. 76.

<sup>2)</sup> *Act. Apost.* XXVII, 17; *Luciam.* Ver. Hist. I, 5. — Ceterum de triremibus, quinqueremibus, cct. hic sermo non fit, quippe quae in proeliis navalibus potissimum adhiberentur.

<sup>3)</sup> *Herodot.* VII, 122; *Xenoph.* Oeconom. VIII, 11.

<sup>4)</sup> L. I, 1; VII, 89.

<sup>5)</sup> *Homer.* od. XIII, 272 sqq.; XV, 415 sqq.; *Herodot.* I. c. et V, 57 sqq. — Contendit quidem K. O. Müller (*Die Etrusker*, I, 77; II, 70), Cadmum fuisse heroem indigenam Graecum, quod an satis firmis fiat argumentis dubito. — Ceterum satis constat, Phoenices in permultis tum Cycladum tum Sporadum insulis consedis-

etiam praeter Ponti Euxini litora ad ipsam Colchidem navigabant<sup>1)</sup>. Mox autem, de mercatura ab aemulis Graecis magis magisque deturbati, ex illis regionibus sua sponte videntur recessisse<sup>2)</sup>. Non solum enim bellum, mercaturae ubique perniciosum, vitare volebant, sed erat etiam periculum, ne viae, quas novas interea ac commercio opportunissimas sibi patefecerant, ab audacibus istis competitoribus investigarentur. Et recte quidem sibi timebant; iam enim, Homeri tempore, Cretenses in Aegyptum recta via navigabant<sup>3)</sup>; iam Taphii ferrum portabant in Cyprum, indeque aes petebant<sup>4)</sup>; iam naves Phaeacum erant *ἀκσίαι, ὥσπερ πτερόν ἢ νόμικον*<sup>5)</sup>.

Quo magis autem orientales regiones a Graecis frequentabantur, eo magis in meridionales atque occidentales Phoenices se convertebant. Iam antea in sinu Arabico atque in Ophir<sup>6)</sup>, in sinu Persico, ac fortasse in Taprobanen insulam<sup>7)</sup> navigare coeperant. Mox autem habebant praeterea colonias, saltem stationes, in Sicilia, Sardinia, Melita, aliisque insulis maris Interni, atque adeo florentes in septentrionali Africae ora, ut numerus earum perpetuo augetur. His

1) In Colchidem proprie dictam Phoenices pervenisse, probari mihi videtur loco *Herodoti* II, 102 sqq. Quum enim iam antiquissimis temporibus in Aegypto fuerint, fieri non potuit, quin Sesostris expeditio ad eam usque regionem, divitiis olim abundantem, facta iis innotuerit; nisi forte malis, Aegyptios, quum quae Colchos inter et sese similia exstarent a Phoenicibus audivissent, finxisse regem suum celeberrimum eo esse progressum.

2) *Grote*, *History of Greece*, III, 265.

3) *Homer*. *Od.* XIV, 252.

4) *Homer*. *Od.* I, 180; *Forbiger*, I, 16.

5) *Homer*. *Od.* VII, 36.

6) I *Reg.* IX, 26—28; II *Chron.* IX, 10 et 21.

7) *Strab.* XVI, 766; *Herodot.* III, 110—112; 114.

autem omnibus longe praestabant coloniae, quas in Hispania auro, argento, stanno, aliisque rebus abundante, condiderunt, quarum Tartessus et Gades erant nobilissimae <sup>1)</sup>. Hinc susceptas in mari Atlantico navigationes quousque extendere solerent, pro certo affirmari non potest. Phoenices enim, omnem navigationis in eas regiones opportunitatem sibi vindicantes, varias de tenebris fabulas, de coeno et algis, de aestu, de monstris marinis, aliisque excogitaverunt, quibus omnes aemulos inde absterrent <sup>2)</sup>. Si quem vero neque dolo, neque fraude possent impedire, quominus sequeretur, procul dubio suam ipsorum navem ac vitam, ut postea Carthaginenses <sup>3)</sup>, perdere malebant, dummodo aemulus simul periret, quam viam indicare. Ac si qui, ut Samii, Colaeo duce <sup>4)</sup>, aut Phocaeenses <sup>5)</sup>, casu quodam eo delati sunt, fortasse non solis navigationis periculis, sed difficultatibus potius, quas Phoenices varias pariebant, denuo reverti non ausi sunt. Quo factum est, ut de regionibus illis multa quidem mira, sed pleraque falsa narrarentur, ac tam parum constaret, ex quo tempore stannum a Cassiteridibus insulis asportare coeperint, undeque iam antiquissimis temporibus <sup>6)</sup> electrum sibi pararent, ut sagacissimus HERODOTUS se tantum id compertum habere dicat, stannum et electrum ab extrema Europa venire <sup>7)</sup>.

<sup>1)</sup> Strab. III, 146—149; 168; 169.    <sup>2)</sup> Ukert, I, 9.

<sup>3)</sup> Strab. III, 176; XVII, 802. — Recentiores etiam ad has artes confugisse testatur Gail (Geogr. Gr. Min. I, 96.) dicens: „Multi etiamnum incusant Hispanum *di Fuentes*, quod per maria „polaria, Americam septentrionalem spectantia, viam monstraverit „illudentem navigatoribus aemulis, dum Hispanorum naves inde „sinenter promontorium *de Horn* praeterirent, atque plurimas Asiae „orientalis oras recto itinere peterent.”

<sup>4)</sup> Herodot. IV, 152.

<sup>5)</sup> Herodot. I, 163.

<sup>6)</sup> Homer. Od. XV, 460.

<sup>7)</sup> Herodot. III, 115.

Tot autem tamque longinquis navigationibus Phoenices eximiam acquisivisse rei nauticae peritiam, nemo non intelligit. Haec vero ars eo tempore sola experientia, non e libris addisci poterat. Quid enim requirebatur? Ut litora, sinus, portus, promontoria, scopulos, syrtes, fluenta, aliaque in itinere obvia, probe cognita haberent gubernatores, atque ita naves tute moderari possent. Quum vero secundum litora navigare maxime solerent, ac sola experientia uterentur magistra<sup>1)</sup>, ad talia cognoscenda multo erant sagaciores recentioribus, qui litora ubique quam celerrime evitant. Nec ventis solum, coeli temperie, volatu avium, aliisque de tempestate futura callidissime conicere didicerant, sed etiam qui venti quibus anni temporibus flare solerent, diligenter observare.

Est autem navigatio iuxta litora variis semper obnoxia periculis, quare sereno tantum coelo tute navigare poterant, interdium sole duce utentes, noctu vero, non uti Graeci ceterique Ursam *maiolem*, sed *minorem* septentrionem verius indicare cognoverant<sup>2)</sup>. Quum autem utriusque sideris nulla tunc stella revera esset polaris, fieri non potuit, quin, eodem itinere saepius repetito, pro diversis anni noctisque temporibus, etiam secundum alia astra cursum dirigerent. Hieme quidem, coelo obducto nebulis ac tempestatibus frequentius

<sup>1)</sup> Num veteres *chartas marinas* habuerint, ex scriptis eorum neutiquam efficitur. Vix tamen eas exstitisse dubitare licet, quum omnino magis necessariae essent quam illae, in quibus terrae representantur. Chartae, in qua totius terrae circuitus, et mare universum, fluviique omnes erant exhibita, mentionem facit *Herodotus* V. 49.

<sup>2)</sup> Dicitur quidem Thales (Diog. Laert. I, 23) id primus invenisse, sed quum, quod haud dubie a Phoenicibus acceperat, primus Graecis indicaverit, etiam primus ab his inventor dici facile potuit.



exortis, in alto mari vulgo non navigabant; observat autem PLINIUS <sup>1)</sup>, mercatores illud seclusi maris tempus non tanti facere, ut in altum evehi non auderent <sup>2)</sup>.

Iam satis perspicitur, veteres in litoribus legendis vel hodiernis nautis non fuisse inferiores. Vadosa enim loca, quae summa cura his sunt vitanda, humilibus illi navibus facile tuteque traiciebant; adverso vento naves remigio propellebant; gubernatores autem, usu docti quotidiano, ad superanda promontoria navesque inter syrtes ac scopulos moderandas erant peritissimi <sup>3)</sup>. Immerito igitur GOSSELLINUS perhibet <sup>4)</sup>, Carthaginienses promontorium *Boiador* superare nunquam potuisse, quia Portugalli id non nisi omnium virium intentione, iamque per duodecim annos frustra tentatum effecerint. Satis enim constat, qualia *Henrico*, egregio Portugallorum principi, obstarent, donec, auri ramentis allatis, adiutrix ei adstitit „auri sacra fames” <sup>5)</sup>.

Veteres igitur nautae non solis cum Portugallis, Africam circumnavigare conantibus, sed cum audacibus illis prorsus sunt comparandi navigatoribus, qui, seculo decimo quinto et sequentis initio, incognitas maximeque remotas adire regiones ausi sunt. Hi quidem veteribus certe non magis praestiterunt, quam ipsi rei nauticae peritia ab hodiernis superantur. Vel

<sup>1)</sup> L. II, 47.

<sup>2)</sup> De Phoenicibus fortasse idem statuendum est, quod de impigris nostris maioribus dixit poëta egregius; „Den niederländischen Seemann unterschied das Eigenthümliche, dass er zu jeder Zeit des Jahrs unter Segel ging, und nie überwinterte.” (SCHILLER. Gesch. des Abf. der vereim. Niederl. I, 43).

<sup>3)</sup> Haud impares erant illis nautis, qui a nobis *loodsen* vocantur.

<sup>4)</sup> Recherches, I, 100.

<sup>5)</sup> *Becker*, Gesch. der neueren Zeit, I, 7.\*

sic tamen, falsa opinione fretus, *Columbus* Americam detexit, et immensum illud mare *Magellanus* transvectus est; casui tantum *Cabralus* detectae Brasiliae gloriam debuit; ac, seculo vix elapso, totus fere orbis terrarum ab impigris illis nautis est patefactus. Neque tamen, uti hodierni, artem nauticam egregie edocti, neque optimis instrumentis erant muniti. Illam quidem ipsis expeditionibus suis, novisque semper inventis eximie promovebant, haec vero aut invenerunt, aut melius usurpare docuerunt <sup>1)</sup>.

Quidquid igitur scientiae et artis iis defuit, id audacia sua ac perseverantia superaverunt. Quidni idem de Phoenicibus statuendum est? Circumnavigationem Africae, favente perpetuo fortuna, peragi potuisse UKERTUS <sup>2)</sup> concedit, addit tamen, num revera facta sit, omnino esse dubitandum, si quis eam cum aliis comparet navigationibus, quarum Phoenices fuerint participes, e. g. cum Xerxis classariis, ne Athon superarent, metuentibus; cum Nearchi praeter australes Asiae oras expeditione, aliisque. — Quod ad primam attinet obiectionem, in ipsius HERODOTI scriptis nihil invenire potui, quo confirmatur. Nam Libri VII caput 122, ubi de navigata fossa sermo fit, nihil tale exhibet; sed eiusdem Libri capite 23 de perfodientibus dicitur: οἱ δὲ Φοίνικες σοφίην ἐν τε τοῖσι ἄλλοισι ἔργοισι ἀποδείκνυνται, καὶ δὴ καὶ ἐν ἐκείνῳ, et capite 96 de navibus: τούτων δὲ ἄριστα πλεούσας παρῆχοντο νέας Φοίνικες, καὶ Φοινίκων, Σιδόνιοι. Praeterea si classis revera

<sup>1)</sup> Sic, e. g. anno 1496 ineunte ex declinatione acus magneticae *longitudinem* alicuius loci definire *Columbus* conatus est; et *Pigafetta*, *Magellani* comes, lineae, qua navigationis celeritas observatur, quamque nos *loglijn* dicimus, primus mentionem fecit. Vid. *ter Pelkwijk*, de Zeevaart, cet. 85.

<sup>2)</sup> *Geographie der Griechen u. Römer*, I, 47.

metuerit, ne promontorium illud circumveheretur, nulla est causa, cur id imputemus Phoenicibus, qui 300 triremes, non vero 1207, quibus classis constitit, praebuerunt <sup>1)</sup>. Ad alteram vero quod attinet obiectionem, dubitari non potest, quin *Alexander Magnus*, Indiam aggressurus, nondum mente agitaverit iter illud, quod Nearchus deinde perfecit, neque ideo rei nauticae peritissimos secum duxerit. Quodsi autem ex militibus Phoenices, qui tunc una militarent, elegerit, idem certe fieri potuit, quod hodie, si quis vel centuriones, imo duces copiarum pedestrium nautarum muneribus rite fungi vellet. Praeterea si ex singulari eiusmodi facto de omnibus iudicare liceret, quid, quaeso, de recentiorum navigandi ratione dicendum esset? Narrat NIEBUHRIUS <sup>2)</sup> se navi, anno 1761, Hafnia profectum esse die 7 mensis Ianuarii, et die 22 mensis Februarii Helsingöri portum cepisse, adeo ut per hos 47 dies, quamvis iter 450 miliariorum geographicorum emensus, non nisi 5 eiusmodi miliaria progressus fuerit. Attamen fuit Daniae regis navis longa, qua gubernatores optimam, quam dicunt, nauticam artem edocti, optimisque instrumentis armati, et nautae exercitatissimi vehebantur. Si quis igitur ex hac una navigatione de omnibus iudicare vellet, iure etiam dubitare posset, num iam tribus fere seculis ante America sit detecta.

Ceterum Phoenices coeli mutationi assueti erant maximae: adibant Britanniam et in sinu navigabant Arabico, quo vix sole magis exustam plagam invenias. Atque insuper unum saltem erat, quo vel claris illis nautis, quos modo diximus, longe praestabant. Illi

<sup>1)</sup> *Herodot.* VII, 89.

<sup>2)</sup> *Reize naar Arabie*, I, 2.

enim terrarum omnium et gentium, quas primi detexissent, imperium divinitus sibi datum esse credebant, atque indigenas istos, maximis aeternisque cruciatibus devotos, si omnibus iniuriis ac tormentis affecissent, de religione optime se meruisse vulgo putabant. Phoenices vero, qui primum et ipsi piraticam fecerant, mox autem in tutiore ac certiore lucro mercaturam ponebant, ad nationes quam maxime diversas se accommodare sciebant. Quod ex coloniis quoquo versus missis, ac plerumque in insula, magnae potentique civitati vicina, conditis, satis animadverti potest. Atque ita tum ingenio aptissimo, tum artibus praediti fuisse videntur omnibus, quibus in circumnaviganda immensa illa continenti opus fuerit.

---

#### CAPUT IV.

AFRICAЕ LITORA MAGNA EX PARTE IAM ANTEA

PHOENICIBUS COGNITA FUERUNT. —

ETESIAE, FLUENTA MARIS, CET.

Africae litora magna ex parte Phoenices iam diu cognovisse, supra vidimus; quousque autem cognitio illa se extenderit, pro certo affirmari non potest. RENNELLUS occidentalem Africae totam oram maritimam usque ad *Guineam*, orientalem usque ad *Sofalam* (ubi *Ophir* fuisse putat) iis notam fuisse perhibet. GOSSELLINUS contra neque ab occidente ultra promontorium *Boiador* (fere 28° L. B.), neque ab oriente ultra promontorium *Brava* (prope lineam aequinoctialem) quidquam exploratum fuisse contendit<sup>1)</sup>. Huic igitur

<sup>1)</sup> *Gossellinus*, ut *Hannonis Periplum* mille fere annis ante

viro clarissimo concedamus, Phoenices non ultra navigare esse solitos; vel sic tamen plus tertia parte totius itineris iis notum fuerit. Quodsi igitur fidem habemus RENNELLO docenti, totam navigationem, secundum litora computatam, 224 esse graduum, spatium 150 graduum praeter ignotas oras iis erat emendandum. Quod, quantumcunque est, audacibus illis viris, etiamsi id vel antea cognovissent, non nimium fortasse fuisset ad tentandum.

Quum autem Phoenices in occidentali Africae litore colonias iamdudum permultas habuissent <sup>1)</sup>, vix dubitare licet, quin et ulteriorem, Saharae praetentam, oram desertam, sive ex indigenarum narrationibus, sive ex irritis, quas ipsi suscepissent, expeditionibus quodammodo cognoverint. Ex altera vero parte, quamvis Aegyptii peregrinos, praesertim navi advectos, tanto haberent odio, ut neque ipsi mercandi causa mare olim navigarent, neque exteris Nili ostia patefacere <sup>2)</sup>, Phoenices antiquissimis iam temporibus Aegyptum tot commeatibus frequentabant, ut, teste HERODOTO <sup>3)</sup>, Memphi vel proprium inhabitarent vicum, atque ipsas Thebas ab Hercule Tyrio conditas esse DIODORUS SICULUS tradat <sup>4)</sup>. Atque ita a mercatoribus, undique eo convenientibus, de Africae orientalibus et australibus plagis non pauca accipere potuerunt. Itaque Aethiopiae non solum ora deserta, quam Adel hodie et Aian dicimus, iis innotescere potuit, verum etiam felicior ad austrum longius por-

---

C. N. peractum esse, ita navigationes et colonias in occidentali Africae ora, quae Phoenicibus vulgo tribuuntur, Carthaginiensium fuisse censet. *Recherches*, I, 64.

<sup>1)</sup> *Strabo*, I, 48; XVI, 766; XVII, 826; 829; *Scyl. Peripl.* 54.

<sup>2)</sup> *Strab.* XVII, 792; *Herodot.* II, 152; 154.

<sup>3)</sup> L. II, 112.      <sup>4)</sup> L. IV, 18, 1.

recta, cuius terrae bona, aurum, vastos elephantes, ebenum, cet vel HERODOTUS cognovit<sup>1)</sup>. Ex utraque igitur parte navigationem praeter desertas regiones, quibus primum obviam ituri essent, mox fecundiorum bonis compensatum iri haud dubie sciebant.

Solebant<sup>2)</sup> autem etiam ad Ophir navigare, quod aliis alia, FORBIGERO eadem Arabiae regio, quam *Oman* hodie dicimus, fuisse videtur, quo navibus olim merces ex India apportarentur<sup>3)</sup>. Hoc si verum est, magis etiam manifestum fit, cur a sinu Arabico potius quam a Nili ostiis ancoram solvere voluerint. Nam in orientalem illam regionem quum aequae atque in austrum navigarent, omnino dubitari nequit, quin etesias ac varios, qui sunt huius generis, ventos, uti et diversa maris fluentia satis cognita habuerint. Quibus de ventis ac fluentis RENNELLUS tam eximie disseruit, ut satis superque appareat, quantopere praestet ex sinu Arabico praeter Bonae Spei promontorium ad Herculis columnas, quam vice versa navigare. Quae postea eadem plures alii uberrime iam explicaverunt<sup>4)</sup>, et chartis etiam expresserunt<sup>5)</sup>, quibus

<sup>1)</sup> L. III, 114. Quare *Forbigerus* (Handb. I, 421) recte stituisse videtur, promontorium *Prasum*, in confinio Aethiopiae, hodiernum esse promontorium *del Gado* (10° 30' L. A.).

<sup>2)</sup> Quamvis enim, uti ex I Reg. IX, 28; X, 11 apparet, per breve tantum temporis spatium Salomonis regis socii fuerint, ideo tamen, portu Aelatico ab Idumaeis expugnato, navigationem ad Ophir Phoenices remisisse, minime censeo. Fieri enim potuit, ut rex Iosaphat idcirco portum illum potissimum expugnaverit, ut vectigalia, alioquin Idumaeis solvenda, sibi darentur. Cf. I Reg. XXII, 49; II Chron. XX, 36. <sup>3)</sup> Handb. II. 763.

<sup>4)</sup> E. g. *Knös*, Disquis. 7—13; *Hoffmann*, Die Erde und ihre Bewohner, 63.

<sup>5)</sup> *Berghaus*, Physikalischer Atlas; *Krecke*, Handb. der Allgemeinen Naturkundige Aardrijkskunde.

vel leviter inspectis, omnia multo dilucidiora apparebunt, quam equidem plurimis possim verbis indicare. Quare hoc tantum additum velim, ex iis, quae *Andrau*, vir rei nauticae peritissimus, de fluente *Agulhas* disseruit<sup>1)</sup>, facile apparere, litora praeternavigantibus tempestates multo minus quam in altum evectis esse metuendas, quae ad Bonae Spei promontorium in confiniis huius calidioris fluenti atque alterius frigidioris, a polo antarctico irruentis, oriri soleant.

---

## CAPUT V.

TEMPORIS SPATIUM, QUOD IN HANC EXPEDITIONEM  
IMPENSUM DICITUR, NATURAE REI  
OPTIME CONVENIT.

Omnia quidem huc usque circumnavigationi peractae eximie favere visa sunt; iam videamus, quid de tempore in eam impenso sit censendum. *GOSSELLINUS*<sup>2)</sup>, si velis ac remis usi essent<sup>3)</sup>, etiamsi semen-tem messemque faciendi causa in variis locis commorati essent, multum abesse perhibet, ut biennio Phoenicibus opus fuisset. *MANNERTUS* contra ac *BREDOVIUS* biennium et quod excurrit iusto brevius esse contendunt, conferentes *Scylacem*, qui triginta insumsit menses, ut ex Indo in sinum Arabicum perveniret; et Phoenices ad Ophir, Arabiae regionem, navigantes ac

---

<sup>1)</sup> Uitkomsten van Wetenschap en Ervaring, enz. uitgegeven door het Koninklijk Nederlandsch Meteorologisch Instituut. 1857 p. 40.

<sup>2)</sup> Recherches, I, 209.

<sup>3)</sup> *Larcher*, l. c. 460, recte animadvertit, tunc aliter navigari non potuisse.

tertio anno redeunt. Ad *Scylacem* quod attinet, hunc Caryandensem, itaque Graecum, non vero Phoenicem fuisse HERODOTUS tradidit<sup>1)</sup>. Quum igitur hic *Graecus* expeditioni illi praefuisse videatur, cuius utpote solius nomen servatum sit, haudquaquam cum MANNERTO videtur statuendum, *Phoenicios* nautas huic fuisse adjunctos, qui contra, si *Persae* fuerint, ab omni navigatione semper abhorrentes, exempli causa citandi certe non sunt. Ceterum de ratione, qua facta sit haec expeditio, parum constat, adeo ut duos diversos cursus navales inter se confusos fuisse nonnulli perhibeant<sup>2)</sup>. Qui vero *Phoenices* ad Ophir navigabant, iis mercaturam facientibus saepius commorandum fuisse, sive ut merces, nonnunquam aliunde comportandas, emerent, sive iam emtas venderent, res ipsa declarat. Praeterea difficillima est navigatio in sinu Arabico, atque ipse GOSSELLINUS monuit, certum tempus nonnunquam ad expeditionem requiri, neque tamen omne hoc tempus ad iter faciendum plane impendi<sup>3)</sup>.

Tempus autem, quod ad circumnavigationem impensum fuisse dicitur, naturae rei esse convenientissimum, RENNELLUS probe ostendit, qui et rationem exposuit verisimillimam, qua haec navigatio potuerit incipi, progredi, finiri<sup>4)</sup>. Hanc rationem quamvis BREDOVIUS acerbis increpuerit verbis<sup>5)</sup>, neque ideo redarguerit, alii tamen aliam, HERODOTO nihil de hac re indicante, viam inire possunt, qua aut eiusmodi itineris difficultates evitare, aut commoda sibi vindicare co-

<sup>1)</sup> L. IV, 44.    <sup>2)</sup> *Knös*, Disquisit. 6.

<sup>3)</sup> *Recherches*, II, 125.    <sup>4)</sup> *Knös*, Disquisit. 21—26.

<sup>5)</sup> *Geogr. et Uran. Herodot. Spec. XI*: „Ars, sive artes, quibus Rennelius usus est, ut hanc navigationem revera factam esse demonstraret, contra se ipsas pugnant, et quo maior ars, eo minor fides.”



nentur. Talibus igitur coniecturis omissis, ea tantum exponemus, quibus respondere possimus BREDOVIO quaerenti, quomode fieri potuerit, ut Phoenices, quum sementem facerent messemque exspectarent, spatio duorum annorum tantam viam, praeter litora navigantes, perficerent.

RENNELLUS spatium ex interiore sinu Arabico, uti iam vidimus, ad Nili ostia circum Africam et secundum litora computatum, 224 gradus sive 4480 miliaria <sup>1)</sup> efficere docuit. Permultos quoque veterum scriptorum locos collegit, e quibus satis apparet, 12 miliaria communem veterum cursum navalem iure agnosci posse <sup>2)</sup>. Sed, difficillimae in quibusdam oris aquationis <sup>3)</sup> aliarumque difficultatum ratione habita, non nisi medium aliquem  $7\frac{2}{3}$  miliariorum cursum quovis die iis tribuit, adeo ut 585 diebus, sive  $19\frac{1}{2}$  mensibus totam navigationem absolvere potuerint <sup>4)</sup>. Ergo si navibus reficiendis, nautis recreandis, com-

<sup>1)</sup> Ubivis miliaria maritima intelligenda sunt, quorum viginti unum *gradum* aequatoris complectuntur.

<sup>2)</sup> *Knös*, Disquisit. 5. — Ipse *Herodotus* (IV, 86) pro 700 stadiis sive  $23\frac{1}{3}$  miliaribus, *Scylax* (p. 69) pro 500 stadiis sive  $16\frac{2}{3}$  miliaribus habet diei navigationem.

<sup>3)</sup> De aquatione vid. *Knös* Disquisit. 23. — Narrat quoque *Niebuhr* (*Beschrijving van Arabië*, 360): „Men zegt, dat zij [de „Bedoninen in Hedschas] bepalen kunnen, hoe diep zij op eene „plaats graven moeten om water te krijgen, als zij maar het aard- „rijk en de daarin groeiende kruiden zien;” et 381: „Wij moesten het water  $1\frac{1}{2}$  of wel 2 voet diep in 't zand zoeken.”

<sup>4)</sup> *Scylax*, p. 110: παράπλους Λιβύης ἀπ' Αἰγύπτου. τοῦ Καναποῦ στόματος, μέχρι Ἡρακλείων στηλῶν . . . κατὰ τοὺς κόλπους κύκλῳ περιπλέοντι ἡμερῶν οἴ. 5'. Ergo si hoc spatium totius Africae, a sinu Arabici faucibus usque ad Nili ostia, circumferentiae est quinta pars, 376 diebus totum iter absolvi potuisset. Restant igitur 209 dies insolitae viae difficultatibus tribuendi.

meatui comparando, sementi faciendae messique expectandae vel totus conceditur annus, biennio tamen ac septem mensibus non prorsus praeterlapsis, i. e. tempore ab HERODOTO commemorato, in Aegyptum redierunt. Quo satis constat, longitudini itineris tempus insumptum optime congruere.

Miror autem locum, unde Phoenices profecti sint, in interiore sinu Arabico positum placuisse viris doctis contra HERODOTI verba satis luculenta. Hic enim, sinum Arabicum a mari Erythraeo plerumque distinguens <sup>1)</sup>, dixit: ἀρμηθέντες . . . ἐκ τῆς Ἐρυθρῆς θαλάσσης, ἔπλεον τὴν νοτίην θάλασσαν. Quare IUNKERUS (cui tamen non assentitur BAEHR in ed. Herodot. ad h. l.) recte opinari mihi videtur, Phoenices ex aliquo portu sinus Adensis ancoras solvisse. Quae quidem clarissimi viri opinio probari mihi videtur etiam iis, quae HERODOTUS de Scylace tradidit <sup>2)</sup>, qui ab Indi ostiis cum in locum pervenerit, unde Phoenices a Necone emissi sint. Quum enim hunc primo *orientem*, deinde *occidentem* versus navigasse indicet, quidni eundem tandem *septentrionem* versus navi vectum esse narravit? An totus sinus Arabicus, cui tamen longitudinem 40 dierum navigationis tribuit <sup>3)</sup>, hic nihili penditur? Atque his fortasse addi possent, quae leguntur L. II, 159: τριήρεις, αἱ μὲν ἐπὶ τῇ βορείῃ θαλάσσει ἐποιήθησαν, αἱ δ' ἐν τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ ἐπὶ τῇ Ἐρυθρῇ θαλάσσει. Si autem a sinus Arabici faucibus Phoenices profecti sunt, iter, quod susceperunt, 400 miliaria ad minimum fit brevius.

Alium vero maioremque, ut putant, GOSSELLINUS et BREDOVIUS scrupulum iniiciunt, ex sementi messique facta petitum. Hac enim vel una re, Phoenices

<sup>1)</sup> L. I. 102; II, 11; 159.

<sup>2)</sup> L. IV, 44.    <sup>3)</sup> L. II, 11.

circumnavigationem non peregrisse, satis apparere perhibent<sup>1)</sup>. „Nam si peregerint,” inquit, „sumentem fecerint necesse est in regionibus Africae meridionalibus, ubi anni tempora omnino sunt opposita iisdem in hemisphaerio septentrionali. Huius autem conversionis temporum Phoenices nullam fecerunt mentionem; eodem igitur mense Septembri, quo fit in Aegypto, sumentem se fecisse atque inde fruges percipisse narraverunt; quod quum in hemisphaerio australi nullo modo fieri possit, dilucide apparet, eos tantum commentitium cursum fecisse, cum notatione de figura Africae tum temporis supposita congruentem. Finxerunt enim veteres sibi tunc Africam trianguli instar, cuius latus longissimum mox ultra sinum Arabicum porrigi credebatur obliquum usque ad fretum Herculeum, adeo ut Africa citissime assequeretur latitudinem, ubi sumentis ac messis iisdem fere temporibus, quibus in Aegypto, fiunt. Hanc igitur coarctatam peninsulam se circumvectos esse dixerunt, tempusque circumvectionis ad rationem temporis, quo in alias terras longinquas navigatum erat, finxerunt.” Iam primum LARCHERUS<sup>2)</sup> recte observavit, HERODOTUM, quum audivisset, Phoenices tempore sumentis faciendae apto sevisse, tempus illud ad autumnum Aegypti, solum frugum ferendarum tempus sibi notum, retulisse, quamvis qui rem ipsi narraverint, eo vocabulo non usi fuerint. Vocabulum igitur *autumnus* haudquaquam idem valet atque mensis *September*, sed ab HERODOTO de quovis sumentis

<sup>1)</sup> Discrepant inter sese *Gossellinus* et *Bredovius* tantum eo quod hic sacerdotes Aegyptios, ille nautas Phoenicios facit narrationis inventores.

<sup>2)</sup> Histoire d'Hérodote, III, 463.

faciendae tempore apto haud dubie adhibitum est<sup>1)</sup>. Dein HEERENUS<sup>2)</sup> monuit, tantum abesse, ut sementis in hemisphaerio australi facta narrationem impugnet, ut fidem potius eius augeat, quum diversae Africae aëris temperiei ac soli naturae cognitionem aliquam prodat, sine qua eiusmodi rei cogitatio concipi vix potuissot.

Quin hoc ipso argumento narrationem confirmari arbitror. Concedamus enim, sacerdotes illos adeo calluisse geometriam (quis vero dubitabit?), ut tertium illud incognitum trianguli latus non nimis longum fecerint, adeo ut ad segnioris circumvectionis, cuius tantum generis exempla affert BREDOVIUS, tempus omnino sit accommodatum; qui tandem fit, ut sola in hac expeditione sementis ac messis fiat mentio? Num Phoenicibus in Ophir navigantibus et tertio demum anno redeuntibus, num Scylaci per 30 menses navi vecto tale quid opus fuit? Frugiferis in regionibus Phoenices more solito commeatum sibi comparare potuisse, unicuique notum fuit; quis vero unquam credere potuerit, nautas, agriculturae amore vulgo minime correptos, atque ex Aegypto solventes cibariis optime instructos, mox „arenam, aridam prorsus et aqua carentem terram, omninoque desertam”<sup>3)</sup> praetervectos, sementis ac messis faciendae cupiditatem incessisse? An soli curiositati ut satisfacerent, in litore Aethiopum sole propinquiore adustorum huius rei periculum fecerint? Quodsi commentitium cursum eumque *breviorem* revera peractum esse, sive sacerdotes, sive nautae tali additamento probare voluissent,

<sup>1)</sup> Eodem modo *Herodotus* (II, 11; 158; 159; IV, 42) *mare Internum*, quia a septentrione praetenditur Africae, τὴν βαρβήϊν θάλασσαν vocat.

<sup>2)</sup> *Id.* I, 2, p. 92.      <sup>3)</sup> *Herodot.* II, 32; IV, 185.

certe a scopo longius aberrare non potuissent. Quare de navigatione tum praeter oras commeatum ubique non praebentes facta, tum supra solitum longinqua eos locutos esse, facile patet; et sane circumnavigationi revera factae omnia optime congruunt. Phoenices enim, saepius iam antea quam Africae orientalis litora praeternavigantes commeatum sibi comparare ubique, certe in regionis, quae *Aian* hodie dicitur, sterili ac deserto tractu, non potuerint<sup>1)</sup>, alias eiusmodi plagas ultra etiam sibi obvias futuras suspicati sunt, atque ita haud dubie non nisi praemeditatam sementem messemque fecerunt.

Ceterum non 6, uti vult BREDOVIUS<sup>2)</sup>, sed 3 tantum mensibus sementis messisque in feracibus illis regionibus absolvi possunt, atque ideo bis a Phoenicibus in tempore computato id factum esse facile potest. Eos enim *durram*, quam 2½ mensibus maturescere NIEBUHRIUS<sup>3)</sup> tradit, sevisse colligitur ex iis, quae idem scriptor narrat<sup>4)</sup>, suo adhuc aevo Arabum vulgus nullum fere alium panem gustare nisi e *durra* confectum; atque idem apud Israëlitas obtinuisse ex Genes. XXVI, 12 suspicatur. Praeterea SCHLOSSE-  
RUS<sup>5)</sup> scripsit, Aegyptiorum panem vulgarem, cuius adhuc fragmenta in sepulcris nuper inventa sint, e *durra* esse confectum. Quare a fide minime abhor-  
rere videtur, quod Phoenices hoc quoque frumento usi fuerint, ut WILKINSONUS<sup>6)</sup> asseruit.

1) Contraria contendit Knös, Disquisit. 24.

2) Handbuch der alten Gesch. 129 n.

3) Beschrijving van Arabië, 146 n.

4) Ibid. p. 146. 5) Weltgeschichte, I, 84.

6) Rawlinson, The History of Herodotus, III, 35, n. 8.

## CAPUT VI.

## DE SOLE AD DEXTRAM VISO.

Iam ad ultimum narrationis pervenimus argumentum, quod ipsi HERODOTO probari non potuit: *dixerunt Phoenices, quum Africam circumnavigarent, habuisse se solem ad dextram.* Hoc maximum quidem argumentum esse ad ipsius HERODOTI fidem demonstrandam, supra iam vidimus; idem vero rem narratam extra omne dubium ponere, non pauci sunt viri docti, qui perhibent. Sic „Maximi momenti est,” inquit HEERENUS <sup>1)</sup>), „quod narrationis fini additur, quo Historicus tanquam invitus, quum fabulam referre nolit, „historiae veritatem ab omni dubio tuetur, etiam hoc „auditum narrans, Phoenices navigantes solem in boreali „coeli parte vidisse. Id certe fieri non potuit, nisi „trans aequatorem progressi sunt; quis autem non „intelligit, eiusmodi quid fingi nullo modo potuisse?” Quae verba probantes plurimi recentiorum narrationi defendendae se satisfacisse putant <sup>2)</sup>). COSSELLINUS contra, BREDOVIUS, alique hoc situ solis narrationem Herodoteam firmari iure, ut mihi videtur, negarunt. Minime vero iuvat omnia illa, quae de hac re viri docti disputarunt, hic exponere: qualia sunt — num Neconis tempore Phoenices, aut saltem sacerdotes Aegyptii defectum solis ex formula quadam arithmetica, an vera astronomicae notitia praedicere potuerint: — num obliquitatem igitur lineae eclipticae et solis situm in

<sup>1)</sup> Id. I, 2, p. 88.

<sup>2)</sup> Immerito tamen Knös his accensetur a Forbigero, Handb. I, 64, n. 97.

coelo pro varia latitudine, an pro sola Aegypti distantia ab aequatore noverint: — num Thales Milesius id a sacerdotibus didicerit, an primus praedicens magistros ipsos arte superaverit. — His igitur, aliisque, si qua sunt, huius generis omissis, potius hic monendum videtur, nihil obstare, quominus solem ad dextram visum, Africa licet non circumnavigata, tum Phoenices, tum Aegyptii fingere potuerint. Hi enim, quorum regio usque ad tropicum borealem, per *Syenen* urbem olim ductum, erat porrecta <sup>1)</sup>, quique perpetuo fere commercium cum Aethiopibus habebant, hominibus ultra tropicum Cancri progressis aestivo tempore solem ad septentrionem apparere iam antea ignorare non poterant. Quanto autem certius id scire possent, quum Neco navalia sua etiam ad mare australe haberet, nemo non intelligit. Phoenices vero, nisi antea, Salomonis regis tempore, in Ophir sive Arabiae regionem, quae Oman hodie dicitur, navigantes solem aestate certe ad septentrionem saepius viderunt. Postea vero, ut iam vidimus, e sinu Arabico aut Persico praeter Africae oras in austrum navigantes idem observandi occasionem saepius habuerunt. An veram huius rei causam nosset, nec ne, id ad nostrum argumentum nihil interest; sufficit monere, eos iam dudum experientia edoctos, si mare australe a se pernavigatum esse perhibuerint, solem etiam in boreali coeli parte a se visum narrare potuisse. Quare ridicula plane videtur ratio, qua IUNKERUS <sup>2)</sup> Phoenices hunc solis situm in Africae circumvectione

<sup>1)</sup> Vid. *Strab.* XVII, 817. — Quum autem ultimus zonae torridae limes variis obnoxius sit immutationibus, oppidum *Assuan*, ubi antiqua *Syene* sita fuit, hodie tropico Cancri non subiectum est, sed plus dimidio gradu ad septentrionem remotum. Cf. *Hoffmann*, *die Erde und ihre Bewohner*, 615.

<sup>2)</sup> *Die Umschiffung Libyens durch die Phoeniker*, 367.

primum observasse existimat: „mense Iunio exeunte  
 „sive Iulio ineunte proficiscuntur, neque ideo solem,  
 „quotidie 3 $\frac{1}{2}$  miliaria geographica progredientem, as-  
 „sequi potuerunt, quem, sementi messique factis, quum  
 „essent inter 15 et 20 gradum L. A., ad septentrio-  
 „nem transeuntem viderunt. Itaque mense Ianuario  
 „promontorium Bonae Spei circumnavigantes solem ad  
 „dextram, et Octobri mense, quum in Guineam Infe-  
 „riorem, inter 3 et 4 gradum L. A., pervenissent, a  
 „tergo eum magisque semper relictum habuerunt. Alio  
 „si tempore profecti essent, *miraculum iam prius fuisset*  
 „*factum.*” — Num igitur vir clarissimus credit, Phoeni-  
 ces antea conniventes semper navigasse in Ophir,  
 quod ipse fuisse putat Indiam <sup>1)</sup>, aut in Sofalam, ex  
 parte sub ipso tropico Capricorni sitam, unde merces  
 petivisse eos existimat <sup>2)</sup>? Minime; ipse enim fatetur,  
 iam antea solem ad dextram a Phoenicibus saepius  
 esse visum <sup>3)</sup>.

Ipsam vero HERODOTUM de hoc solis situ dubitasse,  
 magis mirandum videtur. Fuit enim in oppido Ele-  
 phantine <sup>4)</sup>, ubi si non aestivo tempore fuit, neque  
 ideo solem recte sibi imminetem vidit, audire tamen  
 potuit, id fieri posse, atque idcirco ulterius progred-  
 ientibus solem ad septentrionem transire. Fac au-  
 tem horum cum tunc nihil compertum habuisse, ac  
 posteriore demum tempore narrationem de Africa cir-  
 cumnavigata audivisse; nonne, de mirabili solis situ  
 dubitans, hunc ubique a sacerdotibus Aegyptiis con-  
 firmatum audire potuisset? Quod quum factum esse  
 nusquam commemoraverit, fieri, me iudice, omnino

<sup>1)</sup> Ibid. 372.    <sup>2)</sup> Ibid. 370.    <sup>3)</sup> Ibid. 372.

<sup>4)</sup> L. II, 29: μέχρι μὲν Ἐλεφαντίνης πόλιος ἀπτόπτῆς ἑλ-  
 θών. — Fuit haec urbs Syenae proxima. Vid. Strab. XVII, 817.



potuit, ut HERODOTUS, aestate solem ultra tropicum Cancrī profectis ad septentrionem apparere, haud nesciret. Ac fortasse soli huius rei veram causam explicandi ignorantiae silentium illud est tribuendum. Quidquid est, tali quidem modo, qualem volunt viri docti, hoc argumentum rei narratae fidem addere minime videtur.

At quare igitur HERODOTO narratio illa absurda videri potuit? Erat ei opinio, sive iam antea ab alio geographo accepta <sup>1)</sup>, sive in ipsa Aegypto concepta, quum de ultimis Africae regionibus non nisi pauca eaque sparsa audire potuisset, ipsam Africam non amplae esse latitudinis, sed mox ultra sinum Arabicum in occasum flecti, ut satis apparet ex iis, quae, quum in antecedentibus de Arabia felici disputavit, statim addit: Ἀποκλινομένης δὲ μεσαμβρίας παρήκει πρὸς δύνοντα ἥλιον ἢ Αἰθιοπία χώρα, ἐσχάτη τῶν ἀικεομένων <sup>2)</sup>. Sic etiam Nilo, quem ad quatuor mensium navigationem viamque ultra Elephantinen cognitum esse dixit, ἀπὸ ἐσπέρας τε καὶ ἡλίου δυσμέαν fluenti <sup>3)</sup> atque Africam mediam secanti, parallelum fere Istro cursum tribuit <sup>4)</sup>. Quum vero australes eius regiones acceperit inhabitatas esse ac desertas <sup>5)</sup>, ipsa circumnavigatio huic opinioni vim addiderit necesse fuit. Quodsi enim ob solis fervorem in plagis illis habitare non liceret, nec ultra navigari posset. Sed Phoenices adusta ista litora circumvecti erant, istumque solis ardorem toleraverant, atque ideo eo usque progredi minime potuerant, ut in reditu solem ad septentrionem diu vidissent. Africa igitur non longe ultra sinus Arabici fauces porrigi poterat. Phoe-

<sup>1)</sup> Erant enim iam antea chartae geographicae. Vid. *Herodot.* V, 49. <sup>2)</sup> L. III, 114. <sup>3)</sup> L. II, 31.

<sup>4)</sup> L. II, 33. <sup>5)</sup> L. II, 31.

nices autem, ut supra diximus, ad ipsum sinus illius fretum quum ancoras solvissent, iam statim ad ultimum fere itineris terminum australem, ex mente HERODOTI, pervenerant, quare etiam Neco eos non iussit ulterius navigare, sed ἐς τὸ ὀπίσω . . . διεκπλέειν. Hi igitur non ultra necessarium tempus horrendis illis in locis morati<sup>1)</sup>, mox pervenerunt in regiones, ubi non nisi aestivo tempore, dein ubi solem in boreali coeli parte nunquam videre poterant; nec postea igitur denuo ac per plurimum temporis solem a dextra<sup>2)</sup> habere poterant, atque hoc est, ni fallor, quod negat HERODOTUS, quippe quod suae praeiudicatae de Africae forma opinioni plane esset contrarium<sup>3)</sup>. Atque ita ut rei narratae fidem HERODOTUS non addit, ita etiam non detrahit, quia allati argumenti auctoritatem reiiciens non nisi praeiudicata opinione nititur.

<sup>1)</sup> Apud *Herodotum* (IV, 86) dies navigationis est 700, nox 600 stadiorum. Phoenices igitur intra diem noctemque duos gradus sive 40 miliaria progredi poterant.

<sup>2)</sup> A sinu Arabico per mare australe ita in fretum Herculeum navigantibus solem a dextra aut ad septentrionem visum nihil interesse, manifestum est; quare non intelligo, quid hac de re sibi velit *Gossellini* longa disputatio. *Recherches*, 210 sqq.

<sup>3)</sup> Si qui sunt, qui pro ἔσχατον legendum esse tunc εἶχον censeant, hos id monere mihi liceat, *Herodotum* noluisse significare, Phoenices per totum biennium continuo, sed plurimum tantum temporis, vulgo ita solem vidisse; quam quidem significationem Aoristus minime recusat.

## CAPUT VII.

DE HIS, QUAE A SOCHIS EXPEDITIONIS  
NARRATA NON SUNT.

Omnibus narrationis argumentis expositis, ea paucis explicanda sunt, quae, quum in narratione desiderentur, nonnullos in eam duxerunt sententiam, ut totam narrationem fide indignam censerent. Scilicet HERODOTUS nihil dixit de longissima navigatione in austrum et rursus in boream, qua, revera peracta, falsa illa Africae forma, quin tota veterum geographia mutata fuisset; nec conversa anni tempora, nec sidera, quae Phoenices consulere solerent, e conspectu amota, nec prorsus alia adspecta commemoravit; nullam rerum novarum, periculorum, miraculorum mentionem fecit. Talia vero, ut observant viri docti, non eius sunt momenti, ut de ipsius navigationis veritate iure dubitemus. HERODOTUS rem obiter tantum refert, nec tamen ideo negat, plura, quae sibi aut minus gravia visa, aut fortasse haud bene intellecta fuerint, a sacerdotibus Aegyptiis vel Phoenicibus potuisse narrari. Sic quidem perhiberi possit, omnia, quae de Aegypto narravit HERODOTUS, esse ficta, quia ne verbo quidem attigit tot tantaque miracula a Franco-Gallis exeunte seculo praecedente ibi detecta, quae satis laudari non possunt, et saltem non minora fuerunt, quam quae ab historico non sunt omissa. Num vero, si veram Africae formam indicasset, tota veterum geographia mutata fuisset, ut BREDOVIUS perhibet, de eo merito dubitandum esse videtur. Primus enim HERODOTUS etiam alia recte exposuit, neque tamen errorem sustulit. Sic, e. g. mare Caspium non solum discrete *lacum*

vocavit sive terris undique cinctum, sed accuratius etiam descripsit, ipsamque eius dimensionem designavit<sup>1)</sup>. Perperam tamen POMPONIUS MELA<sup>2)</sup>, et plurimi veteres geographi, ERATOSTHENIS haud dubie auctoritate moti<sup>3)</sup>, usque ad PTOLEMAEUM ac postea etiam, mare hocce Oceani septentrionalis sinum esse putarunt.

De mutatis anni temporibus, quum de sementi ac messi supra iam dictum sit, hic tantum monendum est, Phoenices non subito, sed sensim coelum mutasse, nec gentes, quae Africae oras fertiles (de sterilibus sermo esse nequit) incolerent, venationi tantum et piscatui, verum etiam agriculturae eam fortasse operam dedisse, ut earum exemplo illius temporum conversionis Phoenices admoneri potuerint, praesertim quum in Africa duo tantum anni tempora, aestatem et hiemem, existere constet.

Quod ad stellas e conspectu amotas attinet, recte IUNKERUS animadvertit, ipsum litus iis, quibus iniunctum esset Africam circumnavigare, viam montrasse, atque ideo stellis illis non admodum opus fuisse. Praeterea sive e conspectu amotae, sive postea in conspectum redeuntis quum ipsi navigationi nullius fuissent momenti, cur tandem HERODOTUS ea memorasset, licet circumnavigantes vel maxime stupuissent? Quae vero alia sint miracula, quorum narrationem BREDOVIUS requirit haud intelligo. Constat enim Africam, quum maxima ex parte in zona torrida sita sit, prae ceteris terrarum orbis partibus ubique fere sui similem soli naturam, aëris temperiem, terrae bona, quin incolae exhibere, adeo ut qui regionem maxime australem incolunt, vel in maxime borealem partem trans-

1) L. I, 202; 203.

2) L. III, 5, 23.

3) *Strab.* XI, 507.

lati patriam suam repertam credere possint<sup>1)</sup>. Neque hic omittendum videtur, Phoenices quum iam dudum ex omnibus Africae regionibus merces accepissent, huius continentis naturae aliquam certe notionem habuisse, neque omnia tunc primum vidisse atque admiratos esse. Ceterum de periculis huius navigationis supra dictum est

At, vel ipsos sacerdotes non multa habuisse, quae de singulis huius expeditionis rebus narrarent, minime mirandum est. Qui enim circumvecti sunt? Scilicet Phoenices a Necone mercede conducti, qui, quamvis hac navigatione in suum commodum privatum uterentur, patriae haud dubie satis erant amantes, ut, quae ex huius re essent, minime negligerent. Quodsi autem aut viam, qua merces ex diversis Africae regionibus in Aegyptum facilius apportarentur, aut novas fortasse, magnum offerentes lucrum, merces detegerent, omne eiusmodi emolumentum non ipsorum civitati, sed regi peregrino perceptum iri iure suspicari debebant. Hunc vero, cuius impigrum audaxque ingenium, iam antea cognitum, hoc ipso incepto magis etiam perspexerant, in mercatura facienda aemulum reformidabant, socium certe adsciscere volebant. Nec sibi tantum, verum etiam coloniis, imprimis Carthagini timebant<sup>2)</sup>. Hi quidem aurum, aliaque pretiosa ex interioribus Africae plagis accipiebant<sup>3)</sup>; fortuna vero favente Neconis conatibus, commercium illud detrimento carere haud facile poterat.

At non solum mercaturae commodis, sed vel ipsa libertate ac patria periclitabantur. Assyriorum, Babylo-

<sup>1)</sup> Heeren, Id. I, 1, p. 58.

<sup>2)</sup> Aetnam semper amicitiam fuisse inter Tyrios et Carthaginienses notum est. Vid. Herodot. III, 19.

<sup>3)</sup> Herodot. IV, 181—185; 195; 196.

niorum, aliorumque Asiae populorum dominatio, quantopere exosa, minus erat timenda, quippe non aemula; Aegyptii vero potentes, duobus maribus accolae, si in navigationem etiam incumbere vellent, fere omnia, quibus ad naves aedificandas opus esset, a finitimis sibi parare cogerentur. Ac primae certe partes tribuerentur Phoenicibus; qui, simul ac crescentem in dies Aegyptiorum potentiam suo cum damno non amplius adiuvare vellent, periculum esset, ne, ex amicis hostes facti, copiis tam navalibus quam terrestribus petiti in manifestam incurrerent perniciem. Talia si reputaverint, viros illos prudentes neutiquam falsos fuisse apparuit, quum Apricus non ita multo post adversus Sidonem duxerit exercitum, et *navali proelio* cum Tyri rege conflixerit<sup>1)</sup>. Num igitur, horum omnium ratione habita, ex animo expeditionem illam susceperint, dubito; neque mihi mirandum videtur, nautas diarium suum, si quid eiusmodi habuerint, non valde exornasse, sed nudam tantum veritatem, eamque paulo foedatam exposuisse, ne ad circumnavigationem repetendam ipsi Aegyptii allicerentur<sup>2)</sup>. Quid autem talis narratio, ab Aegyptiis non poëtice ornata, HERODOTO memoratu dignum offerre potuit praeter ea, quae de sementi messique facta ac sole ad dextram viso narravit?

---

<sup>1)</sup> Herodot. II, 161.

<sup>2)</sup> Quare circumnavigatio Africae Sataspi imposita morte gravior poena est habita. Herodot. IV, 43.

## CAPUT VIII.

UNDE FACTUM, UT CIRCUMNAVIGATIO POSTEA  
NON SIT REPETITA?

De Africa denuo circumnaviganda Phoenices parum cogitavisse, ex iis, quae modo sunt exposita, nemo non intelligit. Attamen, aliae etiam eaeque gravissimae huius rei causae fuerunt. Itineri, feliciter licet peracto, suae certe difficultates non defuerunt, quas vero, quum fugiant neminem, hic non iuvat enumerare. Quid autem huic itineri se iterum committendo spectassent? Aurum, ebur, aliaeque Africae merces maxime pretiosae, ut RENNELLUS animadvertit, longe propius atque a nationibus multo minus ferocibus, quam illarum regionum remotarum indigenae huc usque fuerunt, sibi comparare poterant. Qui vero tantum temporis ac laboris nequidquam impenderent, ii minime erant Phoenices. Ac diversarum, quas primi tunc adierunt, regionum naturam recte perspexisse videntur<sup>1)</sup>; plurima enim, quae ex australibus illis terris hodie exportantur, ex aliis plagis illuc translata educuntur; quae vero tunc desertae erant terrae ac steriles, hodie eadem sunt conditione, nec recentiores alliciunt. Quis autem hodie circumnavigationem, tot tantisque periculis obnoxiam, lubens susciperet, si alia aut commodiore via in Indiam pervenire posset? Haec

---

<sup>1)</sup> Hoc nomine recentioribus haud cesserunt; vix enim regionem invenias ab ipsis frequentatam, unde non plurimum lucri ceperint. Contra, ut unum e recentiore aetate exemplum eitem, anno 1536 California peninsula detecta est, et tribus demum seculis post incredibili auri copia undique avidos allexit.

vero causa quum deesset Phoenicibus, cur ii, si potuissent, cursum illum repetiissent? At non potuerunt, ut HEERENUS recte monuit <sup>1)</sup>. Mox enim, medii inter Babylonios et Aegyptios belligerantes, nunc his nunc illis succubuerunt <sup>2)</sup>, donec Persis subiecti sunt <sup>3)</sup>. A quibus, mercaturae faventibus et Phoenicum navibus indigentibus, haudquaquam vexabantur <sup>4)</sup>; sed quum Persarum Aegyptiis <sup>5)</sup>, Graecis, aliisque bellum inferentium socii essent, et maximam classium partem praeberent <sup>6)</sup>, fieri non potuit, quin, alienis semper fere rebus inservientes, suas negligenter ac debilitarent.

At maior etiam calamitas iis inflicta est, postquam Aegyptii ab Alexandro, Macedonum rege, liberati sunt. Mox enim Asia ab eodem subacta, atque India mercaturae magis patefacta, reges Aegyptii Alexandriam, novam imperii sedem, non solum Graecorum humanitate, doctrina, artibus ornare, sed eandem totius mundi emporium reddere summopere, nec frustra studuerunt. Erat quidem huic rei urbs ea admodum opportuna, quippe quae, media inter Asiam atque Europam, duobus maribus adiaceret, variis viis mu-

<sup>1)</sup> Id. I, 2, p. 91.

<sup>2)</sup> Nebucadnezar Sidonem devastavit et Tyrum per 13 annos obsedit; Apries Sidonem bello petivit et cum Tyriis proelium commisit navale. *Herodot.* II, 161.

<sup>3)</sup> Non solum Phoenices, sed Cyprii etiam et Samii, Graecorum mercaturae, cui favebat Amasis, florentissimae invidentes, Cambysi Aegypto bellum inferenti ultro se adjunxerunt. Vid. *Schlosser*, *Weltgeschichte*, I, 75.

<sup>4)</sup> Vid. e. g. quam honorifice Xerxes tractet Sidonis ac Tyri reges *Herodot.* VIII, 67.

<sup>5)</sup> Hos interim Africam denuo circumnavigandam minime curavisse, satis patet.

<sup>6)</sup> Xerxi bellum Graecis inferenti 300 triremes Phoenices praeberunt. *Herodot.* VII, 89



nitis, portibus, aliisque egregie instructa. Quo factum est, ut Tyrus non solum, ab Alexandro iam antea vastata, ceteraque Phoeniciae emporia paulatim evanuerint, verum etiam Alexandria prae omnibus aliis mercatura perpetuo floruerit, quum merces Arabicae, Persicae, Indicae per hanc urbem fore unice in Mediterraneo mari appositas regiones transportarentur.

Ipsi autem Ptolemaci, quominus huius urbis prosperitatem omnibus viribus augerent, permultis rebus impediabantur. Statim enim, Alexandro mortuo, inter duces eius bella exorta sunt gravissima; dein alia gerenda fuerunt cum Seleucidis sive Syriae regibus, qui uti Aegyptii maritima, ita terrestri via merces ex India petebant; tum etiam magis perniciosae saevierunt factiones intestinae, donec Romani his omnibus finem imposuerunt, Aegyptumque fecerunt provinciam Romanam. Et hisce quidem quamvis bellum et agricultura prae omnibus grata semper fuerint, mox tamen, toto fere orbe terrarum domito, civitates etiam mercaturam exercentes fuerunt tuendae, quae crescenti in dies luxui satisfacere possent. Atque ita Romanorum etiam sub imperio Alexandria praecipuum fuit emporium, per quod commercium cum India fiebat. Ac variis posthac dominatoribus subacta diu hoc beneficio adhuc usa est, donec immensae per tot secula ex India semper allatae divitiae adeo audaces allegerunt Portugallos, ut novam circum Africam viam illam detexerint <sup>1)</sup>.

Neque tamen omnem circumnavigationi effectum defuisse, ex *Hannonis* Carthaginensis expeditione, cuius descriptionem fortuna nobis servavit, conici po-

---

<sup>1)</sup> *Becker*, *Gesch. der neueren Zeit*, I, 5.

test. Hic enim quinque fere seculis ante C. N. <sup>1)</sup> missus est, non ut novas tantum detegeret regiones, quod recte observavit IUNKERUS, quia tum neque 60 naves, neque ad 30 millia hominum secum duxisset, sed etiam ut occidentalis Africae oram, quam antea Phoenices iam tenuerant, occuparet et novas ibi urbes conderet. Quae enim a Tyriis olim erant conditae, eas Pharusii et Nigretes deleverant; quare aut novae erant constituendae, aut, ut idem vir clarissimus coniecit, veteribus illis urbibus novi cives adducendi. Sunt quidem, quibus, ut ipsi STRABONI <sup>2)</sup>, haud verisimile videatur, *trecentas* urbes ibi a feris indigenis plane esse extinctas; atque ipse HERRENUS <sup>3)</sup>, quamvis unius seculi spatio tale quid hodie etiam fieri posse minime neget, miratur tamen, oram illam ab Hannone tanquam prorsus incognitam esse descriptam. Numerum haud dubie fama „vires adquirens eundo” nimis auxit; sed quum litora illa a Phoenicibus, non vero a Carthaginiensibus frequentarentur, nil mirum videtur, Hannoni non cognita fuisse atque ideo breviter descripta. Quidquid est, sexto ineunte seculo ante C. N. Phoenices Babyloniis subacti, dein Persas in bellis gerendis adiuvare coacti, remotiorum coloniarum curam non remittere non potuerunt. Eos igitur illas Carthaginiensibus, quibus intima semper amicitia coniuncti erant, eo tempore, quo Hanno missus est, tradidisse verisimilitudini nequaquam repugnat <sup>4)</sup>. Quod si admittitur, facile apparet, quare Hanno, quum sex op-

<sup>1)</sup> De Periplusi tempore non prorsus constat: plurimi autem interpretes illud, quod attulimus, tempus urgent. Vid. *Forbiger*, I. 65, n. 99.

<sup>2)</sup> L. XVII, 826. <sup>3)</sup> Id. I, 2, p. 59.

<sup>4)</sup> Ut iam observavit *J. R. Forster*, *Geschichte der Entdeck. u. Schiff. im Norden*, 22.

vida sive nova condidisset, sive vetera restaurasset, ad ulteriora litora inspicienda profectus sit. A Phoenicibus enim audire potuit, se in illa Africae ora ad austrum longius progredientem, inventurum esse regionem, quam Senegambiam hodie dicimus <sup>1)</sup>, coloniis quidem condendis minus aptam <sup>2)</sup>, sed mercatoribus omnino frequentandam, quippe quae auro esset ditissima. Atque ita Hannonis expeditione memorabilis fortasse orta est auri mercatura, de qua loquitur HERODOTUS <sup>3)</sup>. Ac Phoenices ipsi eadem hac breviora via, si facultas data fuisset, aurum, et quidquid aliud regio illa offerat, haud dubie petivissent.

Denique si quis miratur, ab ipsis Carthaginiensibus circumnavigationem non esse repetitam, is velim reputet, hos procul dubio a Phoenicibus amicis, quam longiore multoque difficiliore via, merces Indicas sibi parare maluisse. De Africa vero circumnavigata his quoque persuasum fuisse, testatur HERODOTUS his verbis <sup>4)</sup>: Μετὰ δὲ, Καρχηδόνιοι εἰσι οἱ λέγοντες, scilicet compertum sibi esse, circumnavigari Africam posse.

## CAPUT IX.

### CONCLUSIO.

Omnibus narrationis argumentis perlustratis, ne

<sup>1)</sup> A duobus fluviis, quorum alter ab Hannone Χρέτης, a Ptolemaeo Δάραδος (Senegal). alter a Ptolemaeo Στάχιρος (Gambia) vocatur.

<sup>2)</sup> Neque hodie nostrates, quae in Guinea Superiore sunt, colonias lubenter addeunt.

<sup>3)</sup> L. IV, 196. <sup>4)</sup> L. IV, 43.

unum quidem invenimus, quod rerum naturae repugnaret, sed certa veri indicia singulis inesse apparuit. Omnia igitur quum temporibus et locis, de quibus agitur, prorsus sint consentanea, mirum certe videatur necesse est, qui tandem factum sit, ut inde ab *Hipparcho* <sup>1)</sup> fuerint viri docti, quorum de continentium terrarum cohaerentia adeo probabilis visa sit opinio, ut ab ipso *Ptolemaeo* geographo <sup>2)</sup> adoptata per 12 amplius secula vigerit <sup>3)</sup>. At fuerunt etiam, qui id minime concederent: *Posidonius* <sup>4)</sup> iam *Hipparchum* impugnavit, atque alii, quamvis Africam circumnavigatam non crederent, fieri tamen id posse nequaquam negarunt, ut *Eratosthenes*, *Strabo* <sup>5)</sup>, aliique. Sed HERODOTUS, ut supra dictum est, alia etiam scivit, quae posterioribus aetate ignota fuerunt. Missis autem viris, qui nihil, nisi quod suae cogitandi rationi congrueret, verum censuerint, fuerunt praeter HERODOTUM etiam alii, qui circumnavigationem revera peractam putarent. Qui enim fieri potuit, ut Xerxes Sataspem capitis damnaverit, nisi Africam fuisse circumnavigatam, atque eiusmodi cursum posse iterari, sibi persuasum habuerit <sup>6)</sup>? Quare autem Sataspi res minus bene cesserit, ipse HERODOTUS satis perspicue indicasse videtur. Narrat enim, eum in Aegyptum profectum ab Aegyptiis navem nautasque accepisse.

<sup>1)</sup> *Strab.* I, 6.      <sup>2)</sup> *Geograph.* IV. 9; VII, 5.

<sup>3)</sup> *Becker*, Geschichte der alten Welt (bearbeitet von *Duncker*) I, 61: „Denn allerdings lässt sich nicht leugnen, dass das plötzliche Verschwinden dieser Kenntniss, welche den seltsamsten Vorstellungen über die Beschaffenheit Africa's wieder Platz machte, ein nicht unerheblicher Zweifel gegen die wirklich vollbrachte Umschiffung ist.“

<sup>4)</sup> *Strab.* II, 98—102.      <sup>5)</sup> *Strab.* XVII, 825.

<sup>6)</sup> *Rennell*, The Geogr. Syst. of Herodot. 716.

Cur autem in *Aegyptum* potius quam in Phoeniciam profectus est? Quia de tali expeditione iam peracta ut plurima ibi rescisceret fore speravit. Sed Aegyptii, Persarum rebus non admodum studentes, luserunt eum, cursumque indicarunt contrarium illi, quem Phoenices tenuerant, quo omnia, quae Phoenicibus faverant, ei adversa forent. Dixit quidem Herodotus, a Sataspis matre hanc itineris directionem fuisse indicatam; num vero matrona illa adeo calleret geographiam, ut ad rem id vel minimum pertinere putaret, dubitare licet. Quodsi vero non ipsa navigatio longinqua, sed isto tantum pacto suscepta, poena morte gravior haberetur, Persae tunc probe cognovisse videntur, Africam eo modo, quo a Phoenicibus factum est, circumnavigari posse. Nautae vero, Aegyptiis ab omni navigatione procul a patria alienis, haud dubie Phoenices fuerunt <sup>1)</sup>, quibus tunc certe non minor quam antea cura adhibenda fuit, ut tali ab itinere omnes deterrerent. Quid igitur potius facere potuissent, quam primo quoque tempore difficillima quaeque ac maxime periculosa de industria conquirere, quae, quum vel ipsos nautas horrentes videret, peregrinus iste testis quam primum effugere expeteret? Quod optime quidem iis cessit; nam Sataspes retrogressus est „tum longitudine itineris, tum solitudine territus,” quamvis postea, timorem dissimulans, regi dixerit: „navem non potuisse ulterius progredi, sed fuisse inhibitam.” Sed, ut iam dictum est, non persuasit Xerxi de re melius edocto.

Neque hic silentio praetereundum mihi videtur,

---

<sup>1)</sup> Nautarum Phoeniciorum numerum satis magnum in Aegypti oppidis maritimis tunc adfuisse, et mercede conduci potuisse, nemo certe in dubium vocabit.

quod scripsit GELENIUS, primus, seculo 16, Hannonis aliorumque geographorum editor: „Complures Graecos „oram orbis habitabilis, maritimarumque regionum „lustrationem, quam illi περιπλοου vocant, scripsisse, „vel ex indice *Plinii* clarum est, qui tamen omnes „nunc desiderantur.” Quorum quidem fontium iactura si facta non esset, de *Eudoxi* Africae circumnavigandae conatibus melius iudicari nunc posset, quam ex iis licet, quae confuse *Strabo* ex narratione *Posidonii*<sup>1)</sup>, aut *Pomponius Mela*<sup>2)</sup>, *Plinius*<sup>3)</sup>, quique alii *Cornelii Nepotis* auctoritate freti fuerint, tradiderunt. Quidquid est, ipse *GOSSELLINUS*<sup>4)</sup> fatetur, maris Erythraei atque oceani Atlantici cohaerentiam Graecorum omnium consensu perhiberi, donec *Hipparchus*, hanc cohaerentiam oceani negans, Africae australes partes et Europae borealibus et Asiae orientalibus plagis iunctas statuerit, quam opinionem sanxerit *Ptolemaeus* geographus. Quae vero vir clarissimus statim addidit: „Priorem tamen sententiam [marium cohaerentiam] „*Oratetis*, *Arati*, *Cleanthis*, *Cleomedis*, *Strabonis*, *Melae*, „*Macrobii*, et multorum aliorum semper praevaluisse „in occidentalibus regionibus, imprimis in Hispania, „dein etiam in Italia ac Gallia, atque huic igitur opinionioni constanti tum *Henrici*, Portugallorum principis, „conatus deberi, tum successum, quo gravisus sit *Vasco* „*de Gama*, qui rem, per tot secula impugnatam, veram „tandem demonstraverit,” de his dubitare mihi liceat. Satis enim constat, quam difficile saepe fuerit, ut viri acumine ingenii praestantes, e. g. *Copernicus*, *Gallilei*, aliique, de re bene perspecta aequales suos melius edocerent. Iam enim *Aristarchus* Samius (280 ante

1) *Strab.* II, 98.

2) *L.* III, 9, 36.

3) *H. N.* II, 67.

4) *Recherches*, I, 45; 194.

C. N.) primus existimasse putatur, solem, stellasque fixas esse immobiles, terram contra orbe obliquo circum solem moveri, simulque circum axem suum volvi; quamquam iam *Archytas* Tarentino (400 ante C. N.), aut discipulo huius *Philolao* (380 ante C. N.) et cuidam *Hicetae* sive *Nicetae* Syracusano (368 ante C. N.) eandem nonnulli opinionem tribuunt<sup>1)</sup>. Quod licet *Seleucus* Babylonius, aequaelis *Hipparchi* (160 ante C. N.), mathematice demonstrare conatus sit, non omnes tamen admiserunt, et mox adeo in oblivionem abiit, ut denuo id *Copernicus* detexerit. At Phoenices remotarum regionum, quas frequentabant, situm aliis innotescere minime cupiebant, contra id omnium maxime agebant, ne cui viam indicarent, atque ideo varias excogitabant fabulas, quibus posterioris aetatis superstitio mirum in modum favit. Liceat mihi unum tantum citare exemplum ex *Bibliis Tabulatis Gerardi de Antwerpia* fol 5<sup>o</sup> <sup>2)</sup>: „Et sic duae Zonae sunt „habitabiles, unam (l. una) citra torridam Zonam, altera ultra. Licet tamen sint duae, unam tantum „credimus habitalem inhabitari ut nostram, quamvis „Macrobius videtur dicere contrarium. Sed sicut commentator eius dicit super eundem, quod quia similis est temperies nostrae habitationis et illorum, ideo „concedendum est ibi homines posse vivere, et ita „Macrobius non affirmare homines esse in secunda „habitabili, sed esse posse. Ponunt equidem plures

<sup>1)</sup> *Cic.* Acad. Quaest. IV, 39; *Forbiger*, I, 518; *Ukert*, I, 2, 131.

<sup>2)</sup> Hoc manuscriptum, ex medio fere seculo decimo quinto aerae nostrae, in Bibliotheca Academica Traiectina invenitur. Vixit autem *Gerardus* medio fere seculo decimo tertio, atque inter aequales vir eximiae doctrinae videtur habitus fuisse, quippe qui a Pontificibus et Episcopis ad historias scribendas invitatus sit. Vid. *van Bolhuis*, *Verspreide Letterarbeid*, 332.

„philosophorum nobis antipedes. Item ponunt et nobis  
 „esse anthiseos (l. antiscios?), et illos antipedes di-  
 „centes, quando illis nox est, istis dies est, quando  
 „aliis aestas, aliis hyems, quando aliis ver, aliis au-  
 „tumnus. Sed quam fabulosum alios esse homines a  
 „nobis in nostra habitabili permanentes, ad quos *Chris-*  
 „*tus* iam venit humanitatem recipiens? Ideo de nos-  
 „tra habitabili hic loquemur, philosophorum opiniones  
 „omittentes <sup>1)</sup>.” Ac si quis legit, qualia postea *Mar-*  
*tinus Behaim*, clarus cosmographus, de insulis scrip-  
 serit, quas in globo terrestri, anno 1492 facto, eo  
 loco posuit, ubi America sita est <sup>2)</sup>, is certe non con-  
 tendet, iusta geographiae cognitione expeditiones esse  
 susceptas, quibus Portugalli aliique novas regiones  
 detexerint. Ipsa quidem historia hoc quoque satis  
 demonstratum est. Quamvis enim, ineunte seculo de-  
 cimo quinto, e Graecorum ac Latinorum scriptis  
 scientia indagari coepta sit, atque etiam geometriae,  
 astronomiae, geographiae, quibus disciplinis ars nautica

---

<sup>1)</sup> Hoc argumento, ut animadvertit *van Bolhuis*, id demonstrari videtur: in altera zona temperata homines esse, non est verisimile; quum enim in nostra zona Christus apparuerit, neque ex una in alteram zonam, torrida obstant, transire liceat, homines illi divini Servatoris cognitione in perpetuum privati forent.

<sup>2)</sup> „*Insula Iava minor*: Im Königreich Iambri haben die Leutt  
 „Man vnd Fraven hinden schwenz gleich die Hundt. Do wechst  
 „übertrefflich vil Specerey vnd allerley Thier alsz Ainhörner vnd  
 „andere.”

„*Angama Insula*: Im letzten Buch Marco Polo im 16. Capitel  
 „findt man geschriben, dasz das Volckh in dicser Insul Angama  
 „genant hab hundts heupt Augen und Zähn gleichwie die Hundte,  
 „und das es vast ungestallt Leut sollen sein und wildt.”

Atque ita de plurimis addit: „Die in dieser Inselu wonen,  
 „haben schwenz gleich die Thier wie *Ptholomeus* schreibt in der  
 „ailfften Tafel von Asia.” Vid. *Becker*, *Gesch. der neueren Zeit*, I, 33.



nititur, opera navaretur, *Ptolemaei* geographi auctoritatem in dubium vocare virorum doctorum neminem eo tempore subierat<sup>1)</sup>. Neque igitur veris geographiae principiis, neque etiam veterum de Africa circumnaviganda opinioni Portugallorum expeditiones tribuendae sunt. Constat enim regem *Ioannem I*, expulsos Mauros in ipsa Mauritania aggressurum, aliquot emisisse naves, quae occidentales Africae oras, tunc prorsus ignotas, explorarent. Inde ab hoc tempore (1412) Portugalli, mox ab *Henrico* ingenioso principe (1417—1463) incitati, paulatim non solum zonam torridam, quam veteres habitari posse negaverant, fertilem invenerunt neque incolis destitutam, sed Aequatorem etiam transierunt (1471), et tunc demum, litore non in occidentem, sed in orientem potius pergente, *Ptolemaei* errori valedicentes narrationi de Africa a Phoenicibus circumnavigata fidem habuerunt, et novam in Indiam viam suspicati sunt<sup>2)</sup>. Solius igitur principis illius ingenio ac studio indefesso, dein perseverantia *Ioannis II* et *Emanuelis*, regum sagacium, nonnunquam etiam casu<sup>3)</sup> factum est, ut Portugalli aliique, alia aliam sequente expeditione, aut novis inventis, aut iam inventa melius adhibendo, rem nauticam eximie perfecerint, et geographiae cognitionem auxerint. Neque hodie compertum habemus,

<sup>1)</sup> *Robertson*, The History of America, I, 28.

<sup>2)</sup> *Ibid.* 29. — *Larcher*, Hist. d'Hérodote III, 457, n. 85.

<sup>3)</sup> Sic Portugallos, qui promontorium Boiador superare frustra conati erant, invitos in parvam insulam (Porto Santo), prope Maderam sitam, tempestas abduxit (*Robertson*, I, 24); et Pedro Alvarez Cabral, cum classe in Indiam missus, in altum navigando quum tempestates, in occidentalibus Africae litoribus saevientes, evitare vellet, adeo in occidentem evecus est, ut in Brasiliam pervenerit (*Ibid.* II, 80.)

quo tandem modo Hispani insulas Fortunatas sive Canarias detexerint, in quas tamen medio seculo decimo quarto aerae nostrae praedatum ire solebant. Quid? Nonne ipsius etiam *Columbi*, cui semper suus stabit honor, errori Americam detectam debemus? Qui quamvis quater in continentem illam pervenerit, semper tamen Asiae oram orientalem se adiisse credidit, quam ab Europae occidentali litore 135 gradus<sup>1)</sup>, quin imo *Toscanelli* astronomus, *Columbi* amicus, 52 tantum gradus distare perhibuit<sup>2)</sup>. Quodsi enim, vera distantia (208 fere graduum) cognita, ipse tantum spatium traicere non recusasset, comites tamen eiusmodi itineris procul dubio non invenisset.

Tales autem expeditiones qui susceperunt, omnibus malis, quibus se fortasse obiecturi essent, bene perpensis, optima quam norunt ratione se tueri a periculis studuerunt; Phoenices certe, diuturna experientia edoctos, tale quid non temere neglexisse, nemo est qui neget. Sed sunt etiam alii iique longissimi cursus dignissimi, quos tum sola audacia, ne dicam temeritate, susceptos, tum feliciter peractos miremur. Quid enim ausi sunt *Franci*, quos Aurelius Probus imperator (276—283) in Ponti Euxini litore collocaverat, ut imperii fines ab Alanis defenderent? Scilicet, in portu quodam Romanis navibus aliquot potiti, via plane sibi ignota ad Rhenum redire statuerunt. Bosphoro atque Hellesponto pernavigato, Asiae Minoris litora totamque Graeciam depopulati sunt;

---

<sup>1)</sup> Secundum *Marinum Tyrium*. Vid. *Robertson*, II, 35, n. 12. Kosmos door *A. v. Humboldt* naar het Hoogd. door *H. Beima*. Deel II, aanm. 235.

<sup>2)</sup> Iam *Eratosthenes* (*Strab.* I, 64) statuit, perpetuo occidentem versus navigando Indiam adiri posse.

Syracusas devastarunt; in Africae oris, licet a Carthagine repulsi, ad fretum Herculeum usque praedati sunt; Hispania Galliaque praeternavigata, immensa praeda onusti ad Batavorum ac Frisiorum litora appulerunt<sup>1)</sup>. Quid suscepit *Orellana*, ut perfidissimus ita audacissimus vir? Qui vili phaselo vectus, penuria vexatus, gubernatore, imo pyxide nautica destitutus, cum ferocibus Amazonum fluvio accolis saepius pugnam committens, ingentis illius fluvii, cuius ex ipsis Andibus cursum per septem fere menses secutus est, non solum ad ostia pervenit, sed in ipsam etiam Hispaniam revertit, iter bis mille milliariorum emensus<sup>2)</sup>. Num ficta illa regione „el Dorado” opus est, aut „Amazonum regno,” ut summa hanc expeditionem admiratione dignemur? Num Yslandiam iam anno 861, Groenlandiam anno 888, Vinlandiam anno 1001 a Normannis detectam fuisse<sup>3)</sup> negabimus, quia nautis illis, non pyxide nautica<sup>4)</sup>, sed sola sua audacia fretis, ignota et vel hodiernis nautis horrenda maria, relictis litoribus, non lucri, sed gloriae causa erant traicienda? Num fidem negabimus *Forstero*<sup>5)</sup> referenti, *Tupayam*, insularum Societatis regem, decem vel duodecim dierum navigationem, quam Cookius celeberrimus 20 graduum sive 400 milliariorum fuisse computarit, in cymba aperta feliciter peregissee, licet pyxidem nauticam ignoraret, et in altum mare evehi deberet?

Et sic quidem per omne tempus aut casus, aut

<sup>1)</sup> Eumenius in Panegyri. Constant. caes. 12; Zosimus I, 71.


<sup>2)</sup> *Robertson*, VI, 334.

<sup>3)</sup> *Forster*, *Gesch. der Entd. u. Schiff. im Norden*, 68; 108; 111.

<sup>4)</sup> Cuius ante medium seculum duodecim nulla fit mentio. *Ibid.* 245.

<sup>5)</sup> *A Voyage round the World*, I, 397.

audacia plurimum valuit, quod certe nostro aevo, quo nihil fere suscipitur, nisi quod scientia ac certis artium principiis nitatur, omnino mirum, ne dicam absurdum, videatur necesse est. Neque tamen propterea illud negare licet, quod nostris ipsorum fortasse aut viribus aut ingenio maius fuerit. Praeterea si quis quaerit, numquod inventum, modo sit alicuius momenti, hodie celari possit, iure id negatur, quam tot tamque variae pateant viae, quibus omnia graviora aut nova per totum terrarum orbem citissime divulgentur. Sed non semper idem obtinuit. Omissis temporibus antiquioribus, quaerere iuvat, quot aequales nostri ignorent virum, qui aquae ferventis vaporem, cuius vi hodie maxima onera moventur, primus adhibere docuerit? Quodsi recentiore adeo aetate accidere potuit, ut homines, quibus defuit facultas rei a se inventae utilitatis probandae, oblivione premerentur, quid mirum, si Phoenicibus, ab hac ipsa facultate studiosissime abstinentibus, idem accidisset, nisi HERODOTUS memorabilis illius navigationis memoriam servasset?





---

## THESES.

### I.

Perperam *Wilkinsonus* (Rawlinson, *The History of Herodotus III*, 34 n. 4) perhibet, Hannonem Carthaginiensium ducem Africam ad sinum Arabicum usque circumnavigasse.

### II.

*Sallustium* in iis, quae de Romanorum regum imperio tradit (Catil. VI et VII), parum sibi constare indico.

### III.

*Titus*, amor et deliciae generis humani, si diutius vixisset, tyrannus evasurus fuisse videtur.

### IV.

*Pausaniae* Lacedaemonii facta post proelium Plataeense animi delirium produnt e superbia ortum.

## V.

Foedus, quod *Diodorus Siculus* (XI, 1, 20) narrat cum Persis iniisse Carthaginienses, non satis firmis argumentis in dubium vocatur.

## VI.

Recte *Socrates* (apud Platonem in *Theaet.* 155 D):  
 μάλα γὰρ φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος, τὸ θαυμάζειν· οὐ  
 γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη.

## VII.

Recte *Horatius* (*Epist.* II, 6) dixit:

„Nil admirari prope res est una, Numici,

„Solaque quae possit facere et servare beatum.”

## VIII.

Non solum Orientalis, sed omnis omnino philosophia cum religione arctissime cohaeret.

## IX.

Iuvenibus literarum Magistris, quondam Gymnasii doctoribus futuris, institutio privata parum prodest.

## X.

Si Graecae et Latinae linguae studium tantum ad recte et subtiliter ratiocinandum, non vero ad animum excolendum valere deberet, huic studio Mathematicas disciplinas praeferendas censerem.

## XI.

In edendis Latinorum classicorum scriptorum libris orthographia recepta non est sollicitanda.

## XII.

Commodius in Graecorum verborum coniugationibus docendis initium facias a verbo εἶναι.

## XIII.

*Taciti Germ. I:* „Cetera Oceanus ambit, latos sinus „et insularum immensa spatia complectens, nuper cognitis quibusdam gentibus ac regibus, quos bellum „aperuit.” Pro *regibus*, quos legendum est *regionibus*, *quas*.

## XIV.

*Ibid. II:* „Ita nationis nomen, non gentis, eva- „luisse paulatim, ut omnes, primum a victore ob „metum, mox a se ipsis invento nomine, Germani „vocarentur.” Pro *a victore* legendum *a victis*.

## XV.

*Homeri II. XVIII, 507 sq.:*

κεῖτο δ' ἄρ' ἐν μέσσοισι δῶα χρυσοῖο τάλαντα,  
τᾶ δόμεν ὅς μετὰ τοῖσι δίχην ἰθύντατα εἶποι.

Talanta haecce non de iudicis mercede, ut *Faesi* aliique volunt, sed de sacramentis ab litigantibus depositis et victori dandis accipienda sunt.



## XVI.

*Herodot.* I, 112: Ὁ δὲ οὐκ ἔφη οἶος τ' εἶναι ἄλλως αὐτὰ ποιέειν. In his αὐτὰ est delendum.

## XVII.

*Ibid.* II, 127 pro διὰ οἰκοδομημένου δὲ αὐλῶνος legendum ἢ διὰ οἰκοδομημένου αὐλῶνος.

## XVIII.

*Ibid.* III, 37: σκεπτόμενος τοὺς νεκρούς cet. In his σκεπτόμενος corruptum esse censeo.

## XIX.

*Isocrates* (*Areopagit.* VIII) recte τὴν κλήρωσιν τῶν ἀρχῶν inter maxima vitia reipublicae Atheniensium numerat.

## XX.

Leges agrariae Gracchorum iniuria in legum novarum numerum referuntur.

## XXI.

Censurum auctoritatem fractam esse, non potuit non summopere placere Imperatoribus.

---